

NILLES

Tolerari Potest

1893



‚TOLERARI POTEST'.

DE JURIDICO VALORE

DECRETI TOLERANTIAE

COMMENTARIUS

AUCTORE

NICOLAO NILLES, S. J.

Ex actis theologicis Oenipontanis
‚Zeitschrift für kath. Theologie'
in usus academicos exscriptus.

ŒNIPONTE.
TYPIS ET SUMPTIBUS FEL. RAUCH (C. PUSTET).
1893.

‚Hoc cunctis inest legibus generalibus, ut, si quid singulare eveniat nec opinatum, factum tolerari queat suadente aequitate, quod nonnihil a verbo legis recedat.' (SS. D. N. Leo PP. XIII. *Lit. ad archieppum. et eppos. provinc. neo-eboracen.* d. d. 23. Maj. 1892.)

„TOLERARI POTEST“



Imprimi permittitur.

Brixinae d. 5. Februarii 1893.

† **SIMON**,
eppus.

Praefatio et occasio scribendi.

1. Quoniam ‚propter humanae naturae varietatem et machinationes ejus inopinabiles'[1]) saepe contingit, ut legislator ‚statuta a se vel praedecessoribus suis edita obesse percipiat potius quam prodesse'[2]): ‚necessaria rerum dispensatione identidem constringitur, diligenti consideratione[3]) nunc antiquorum declaratione nunc vero novorum editione jurium providere[4]), ne priscae sanctiones ulterius valeant obesse'[5]).

Providet autem actu positivo, ‚sonante in agere', quum ‚canones editos vel aliqua in eisdem contenta canonibus revocat, modificat vel suspendit'[6]).

Providet et actu negativo, ‚sonante in pati'[7]), quum vel quae contra legem facta rescit, boni communis causa tacite patienter fert, vel etiam proposito *tolerantiae decreto*, quod vocant, expresse declarat, perpensis rerum

---

[1]) Joan. XXII, in prooem. Clementin. [2]) Idem in Extrav. Quia in futurorum un. de torneament. (t. 9) et Quia nonnunquam 2 de verb. signif. (t. 14), utrobique in harenga. [3]) C. Necessaria 6 C. 1, q. 7 (s. Gelas.). [4]) Bonifac. VIII, in prooem. lib. 6. [5]) C. Ad conditorem 3 de verb. signif. Extravag. Joan. XXII et alibi passim. [6]) C. Quia in futurorum, et C. Quia nonnunquam cit. [7]) Distinctio inter actus positivos, sonantes in agere, et actus negativos, sonantes in pati declarabitur inferius nn. 10—11, 19, 85.

adjunctis, sinere se legem aliquam impune non observari, ,ne scilicet eam nimium urgendo majora bona tollantur, aut etiam pejora mala sequantur'[1]).

2. De ratione atque indole talis decreti dici vix potest, quanta contentione non ita pridem sit, in utroque orbe, ex praejudicatis opinionibus, in diversas partes disputatum[2]).

Argumentum adeo exercitum ac vexatum pro usibus auditorum nostrorum exercitationes academicas juris canonici frequentantium, brevi aliquo manuali commentariolo complexuri, aliam interpretationis viam ingredi nobis proposuimus. Constitutum enim est id omnino agere, ut nullo partium studio ducti, sed solius veritatis indagandae cupidi, genuinae tolerantiae notioni θετικῶς illustrandae verisque decreti tolerantiae rationibus definiendis exili hac nostra dissertatione utcunque serviremus.

3. Opusculum in tres partes ita digeremus, ut in prima quidem praecipuos scriptores eo in argumento tractando multum strenueque cum laude versatos sequendo *quid tolerantia proprie sit,* exquiramus; in altera vero *naturam et vim ipsius decreti tolerantiae* ex fontibus juris accuratius exequamur; in tertia tandem selectas quasdam *regulas* authenticas, *decreto tolerantiae rite interpretando in jure sacro definitas,* cum brevi explicatione ob oculos ponamus: genuinum valorem decreti tolerantiae inde, certo veluti auctore, sine errandi periculo collecturi.

---

[1]) Ita s. Thom. 2. 2. q. 10, a. 11. [2]) Ejus varietatis ac dissensionis testes, praeter alios, sunt: Rmus archiepiscopus Ireland in literis ad Emum. card. Ledóchowski mense majo datis atque in ephemeridibus politicis ,Univers' et ,Le moniteur de Rome' (11. Jun. 1892) vulgatis; R. D. Dr. Brann contra prof. Bouquillon in ,New York Freeman's Journal' (25. Jun. 1892); ,American Ecclesiastical Review' contra ,Baltimore Sun', et ,Catholic Times and Catholic Opinion' (Supplem. 2. Juni 1892); ,N. Tiroler Stimmen' contra ,Politische Correspondenz' (2. Juli 1892); ,L'Osservatore romano' (31. Maji 1892); ,Civiltà Cattolica' (eodem mense); ,Columbia' (13. Octob. 1892); ,The North-Western Chronicle' (15. Decemb. 1892). Caeteras ephemerides omittimus; nam quis finis?

I.

De natura tolerantiae.

4. Qui praesentem hanc materiam diligentius pertractant utriusque juris periti[1]), tolerantiam generatim acceptam summo consensu ita describunt, ut sit ‚indulgens animi affectio indeque fluens declaratio mentis, qua ex justis rationibus patienter ea ferimus, quae nobis adversa seu molesta sunt nobisque non probantur': quae adversa scilicet dum prohibere aut declinare vel non possumus vel non debemus, propter graves causas, non resistendo, admittimus, quantumvis licet nostro judicio probari nequeant[2]).

Quae descriptio ut rite intelligatur, pauca haec sunt circa praecipua ejus incisa ex ordine animadvertenda.

5. *Indulgens animi affectio et inde fluens declaratio mentis,* quae hanc animi affectionem indicat, duo supponit: scientiam et voluntatem; scientiam quidem, quatenus ea, quae toleramus, bene agnoscimus, intelligimus atque nota habere declaramus et profitemur; voluntatem vero, dum animus ea, quae toleranda sunt intelligens voluntatem determinat, ut patienter ferat ea, quae vel non potest vel non debet avertere. Et hac ratione tolerantia differt a *dissimulatione*[3]); ea enim quae dissimu-

---

[1]) Ex Ictis, qui in declarandis rationibus tolerantiae, in genere sumptae, cum approbatione versantur, prae caeteris legi merentur J. H. Böhmer, *Decretal.* lib. 5, tit. 7, § 166; Greg. Zallwein, *Principia juris eccles.*, quaest. 2, c. 5, § 10; Jacob. Zallinger, *Institutiones juris nat.* l. 3. c. 10; A. L. Schlözer, *Staats-Anzeigen,* t. 16, n. 43; Rotteck, *Duldung* in Staatslexicon t. 4, p. 532; Aemil. Ruckgaber, *Toleranz,* in Kirchenlexicon, t. 11, p. 72. [2]) Omnium loco unum suffecerit adduxisse, quem ultimo loco nominavimus, professorem Dr. Ruckgaber, qui tolerantiae notionem sic explicat: ‚Unter *Toleranz* versteht man im Allgemeinen, wie die Canonisten sagen, diejenige Stimmung und Entschiedenheit des Gemüthes, vermöge der wir Etwas, das uns widerwärtig oder gar ein Uebel dünkt, und das wir doch nicht ändern können oder dürfen, geduldig ertragen, es nicht bekämpfen, ja sogar um eines öffentlichen Nutzens willen oder zur Vermeidung eines grössern Schadens bisweilen förmlich zuzulassen und anzuerkennen uns verstehen'. [3]) Cum dissimulatione communem ferme significa-

lamus, ignorare videmur et videri volumus[1]); ea vero quae toleramus, nos scire et patienter ferre videri volumus, et quandoque publice declaramus.

6. *Justis gravibusque causis* omnis tolerantia honestari debet.

Ejusmodi causae, in quibus tolerantia veluti fundatur, ad tria haec capita reducuntur; ideo enim quae nobis non probantur vel adversa videntur, patienter ferimus nec impedimus, quia vel de jure *non debemus,* vel *non possumus* impedire, vel ea impedire *non expedit.* Prima ratio est *impedimentum juris* sive *legis,* altera *impedimentum naturae,* tertia *impedimentum utilitatis.*

Ex *impedimento legis* civilis tolerantia variarum religionum jam fere ubique est ex jure positivo debita; *impedimentum naturae* cogit nos patienter ferre calamitates subito emergentes, maxime naturales, v. g. grandinem, imbres; *impedimentum utilitatis* tandem efficit, ut ‚communis boni causa, et hac tantum causa, possit vel etiam debeat lex hominum *ferre toleranter* malum'[2]); nimirum ‚et in regimine humano illi, qui praesunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua pejora incurrantur'[3]).

7. Quae ita princeps utilitatis publicae causa, tolerando sinit in societate fieri, ea in jure sacro censetur *comparativa permissione,* non resistendo, admittere; ‚et secundum hanc permissionem dicit canon, quod ea, quae permittimus, *non approbamus,* ut C. Hac ratione 9, C. 31, q. 1'[4]):

---

tionem habet *conniventia;* in jure quippe connivere, h. e. *conniventibus oculis* aliquid permittere tantundem valet, ac dissimulare strictum jus. Utrumque nomen, dissimulatio et conniventia, identidem lato sensu pro ‚tolerantia' sumitur.

[1]) De dissimulatione lectione dignum est C. Super eo 3. X de cognat. spirit. (IV, 11). [2]) Ita SS. D. N. Leo PP. XIII, Encycl. de libertate humana edit. d. 20 junii 1888. [3]) S. Thom. 2. 2. q. 10 art. 11. [4]) A comparativa permissione omnino alienam esse approbationem permittentis, hoc canone ostenditur exemplo Moysis, qui ‚permisit dari libellum repudii, ut vitaretur homicidium'; quum enim ‚malas hominum voluntates ad plenum cohibere non potuisset', minus malum ‚nolens permisit, ut majus evitaretur'. Ita gl. ad hunc et alios canones citatos.

quemadmodum expresse monet gl. ad C. Omnis autem lex 4. fin. dist. 3 cum similibus locis[1]).

Et sic, comparativa permissione usus, rector societatis non solum ‚ex duobus malis minus fieri sinit'[2]), sed interdum etiam ‚pro bono pacis aliqua tolerat, quae alias reprobarentur'[3]): quod idem Summi Pontifices saepe fecerunt, ut infestas vexationes ab ecclesia averterent.

Ex iis hic unum laudamus Benedictum PP. XIV, qui ad graves controversias inter Sedem apostolicam et aulam taurinensem diu agitatas tandem finiendas, solemni conventione cum rege Sabaudiae inita anno 1741, quae expresse concedere potuit, cum approbatione permisit[4]); quae vero non potuit, in propria instructione ad episcopos sabaudos circummissa anno 1742 solum *tolerari posse*[5]) declaravit[6]): ut nimirum, ‚resecatis dissidiorum causis pacisque remotis impedimentis stabilem istius populi quietem et tranquillitatem procuraret[7]), opportunum ‚moderamen adhibuit'[8]), ut praeter ea quae in conventione approbando concesserat, alia quoque per modum comparativae permissionis, citra approbationem, fieri tolerando sineret[9]).

8. *Adversa deinde tolerando ferimus patienter*[10]), h. e., sine renisu, non resistendo, nihil contra movendo; ut adeo *tolerantiae conceptus in negativo consistat*: quemad-

---

[1]) Rationes ‚comparativae permissionis' multis expositas vide in gl. ad C. Omnis autem lex 4 fin. dist. 3, v. permittit; ad CC. Hi qui 3. C. 26, 9. q. 2; et C. Hac ratione 9, C. 31, q. 1. [2]) Cfr. Canones cit. jct. C. Duo mala, 1 dist. 13. [3]) C. Nisi essent 21. X. de praebend. jcta. gl. [4]) Sistitur in collectione authentica: ‚Traités publics de la royale maison de Savoie avec les puissances étrangères, publiés par ordre du roi' (Turin, 1836), t. 2, pp. 529–533. [5]) ‚Altri capi sono stati individuati, ne' quali la Santa Sede Apostolica non puote che semplicemente tollerare'. Ita ‚Projet d'accommodement entre S. M. le roi de Sardaigne et Sa Sainteté Benoît XIII, ibid. p. 420. [6]) Insructio haec, propria ipsius Pontificis manu exarata, habetur in eadem collectione ‚Traités publics' citato tomo 2, pp. 538 — 567. [7]) Id se acturum, Benedictus PP. XIV antea jam promiserat regi. [8]) De prudenti ‚moderamine in tolerantia adhibendo' cfr. C. Nisi essent 21. X. de praebend. (III, 5). [9]) Exemplum rei, quam per eam occasionem Summus Pontifex tolerabilem tantum declaravit, sistemus infra n. 43. [10]) In describenda tolerantiae natura prae caeteris syno-

modum scite animadvertit Emus. Card. Zigliara, *Pro paedeut.* l. 2, c. 16.

Quae quidem notio tum ex propria vocis significatione facile eruitur, tum ex juridica ejus acceptione plenius confirmatur.

9. Et nativam significationem quod attinet, verbum transitivum *tolero,* cui evidens est originis ac significationis vicinia cum *tollo,* vi vocis spectata nihil aliud est, quam *fieri sino patienterque fero* id, quod ingratum est et malum videtur[1]); et licet illud quandoque ex gravibus causis etiam expresse non repugnanter admittamus, *tolerantia* ipsa tamen, formaliter sumpta, semper *in negativo consistit* atque aliena ab omni approbatione dicenda est[2]).

10. Negativum hunc tolerantiae conceptum omnigenumque approbationis defectum ex natura vocis significatione manantem usus nominis juridicus quoque manifestum et promptum facit, quum unanimi utriusque juris peritorum sententia tolerantia de genere illorum actuum sit, qui *‚sonant in pati et negativi sunt‘*: et quibus omnibus id commune est, ut nihil positivi inferant.

Eo in argumento pertractando Icti actus in duas classes distinguunt: in actus *‚sonantes in pati‘*[3]), qui vocantur *negativi,* et in actus *‚sonantes in agere‘,* qui sunt *positivi.*

---

nymis dictio haec placet, quod Festus jam *‚tolerare‘* per *‚patienter ferre‘* explicasset, uti videre est in ejus fragmentis apud Paulum Diaconum (Migne Patr. lat. t. 95, p. 1688).

[1]) Doctus scriptor americanus, qui rationes decreti tolerantiae, consueta forma *‚Tolerari potest‘* editi, diligenter expendit in actis theologicis ‚American Ecclesiasical Review‘ (June 2, 1892, Supplementary Issue, p. 7), recte animadvertit, verbum *tolero* ejusdem originis esse cum graeco *τλάω,* suffero, sustineo, patior, patienter fero. Altius imo ascendere potuisset, scilicet ad radicem sanscritam *tal* unde *tol* sive *tul,* a quo praeteritum *tuli* (et germ. *dulden,* Geduld). Sed ea de re videsis Fick, *Wörterbuch der indogermanischen Sprachen,* t. 2, p. edit. 3. [2]) *‚Tolerare* non est *approbare* neque *simpliciter permittere‘.* Ita Em. Card. Zigliara, *Summa philosophica,* juris naturae l. 2, art. 2 n. 6. [3]) Ita actum negativum describit Abbas seu Panormitanus in Com. ad C. Veniens 5 X. de filiis presbyterorum (I, 17); aliis dicitur actus, ‚qui est, vel qui consistit in pati aut in patiendo‘, ut ex mox afferendis patebit.

In exponendo priori genere, actum negativum ,sonantem in pati' docent referri ad id, quod agens citra rei permissae approbationem simpliciter sinit fieri, sive illud honestum sit ac bonum, sive lege aliqua positiva vetitum, sive etiam de jure naturali jam prohibitum. Ita v. g. auditio missae censetur esse actus negativus ,sonans in pati' respectu sacerdotis celebrantis ac fideles sacro suo assistere sinentis; similiter commoratio banniti in urbe, unde publico edicto erat proscriptus, actus negativus et sonans in pati appellatur ex parte principis, qui de facto bannitum usu patriae non prohibet; tandem, ut etiam exemplum rei ex se malae ac jure naturali prohibitae afferatur, ubi meretrices civitate non expelluntur, exercitium turpissimi sceleris actui negativo principis talia fieri patientis adscribitur.

11. Jamvero unanimis ac constans est classicorum magistrorum doctrina, ut praefati jam sumus, omnibus actibus negativis, sine ulla exceptione, id esse commune, ut nihil positivi inferant; indeque concludunt, per simplicem tolerantiam, quae ad duas posteriores species actuum negativorum spectare dignoscitur, nullum consensum sive approbationis rei sive dispensationis in lege induci posse.

Ex nube testium omni exceptione majorum, paucos hos audiamus.

Nicolaus de Tudeschis, archiepiscopus Panormitanus, vulgo *Abbas* et *Panormitanus* dictus[1]), in commentariis ad C. Quum jam dudum 18 X. de praebendis (III, 5). ,Tolerantia superioris, inquit, non inducit dispensationem in his, quae sunt contra jus, (et circa hoc vide pulchram glossam[2]) in dist. 3, c. fin.); etiam Papa per patientiam ea tolerante, quae sunt contra jus, non causatur dispensatio vel permissio (nn. 5 et 10).

Menochius Jac., Papiensis († 1607), postquam principii instar praemisit, quod ,ille, qui patitur atque ita

[1]) De celeberrimo hoc canonista († 1443) plura videri possunt in nostris *Disput. academ.*, I. 63. p. 63. [2]) Eam sistemus integram inferius n. 21.

actum negativum ponit, non dicitur dispensare, *ex quo actus negativus nil infert*'[1]), postea in eximiis suis consiliis rem fusius prosecutus inter alia haec scribit: ,Actus principis, qui est in pati et qui dicitur negativus, h. e., qui nihil ponit, non inducit dispensationem, quia talis actus consensum non continet'[2]).

Card. Tuschi Dominic.,[3]) praecedentium, quos magno numero laudat, jurisperitorum doctrinam breviter complexus, tradit: ,Per actum principis consistentem in pati, et sic per actum negativum non inducitur dispensatio; secus, quando factum principis consistit in agere'[4]).

Patet ergo tolerantiam, in sensu juridico sumptam, in negativo consistere, h. e., in actu sonante in pati, qui nec consensum approbationis arguat nec jus dispensando relaxet (nn. 19 et 51).

Quodsi vero tolerantiae aliquando consensus tribui videatur, id non inde venit, quod ipsa tolerantia ex se jam vim et affectum consensus habeat, sed quod vestita sit adjunctis, ,quae consensum legislatoris manifeste concludant'[5]).

12. Tolerantia tandem versatur circa *adversa, odiosa* atque *ingrata*[6]), quae vulgo *mala* vocantur, sive ea vere talia sint sive apparenter tantum.

Qua in re tolerantia a *patientia* differre cognoscitur. Patientia quippe latius patet et saepe ea quoque respicit, quae non sine approbatione fieri sinimus. Si peregrino permittimus, ut sibi haustum aquae frigidae ex nostro puteo sumat, vel ut se ad ignem a nobis accensum calefaciat, vel ut quacunque alia re nostra utilitatis innoxiae utatur, tunc non exercemus tolerantiam, sed patientiam

---

[1]) De praesumptionibus, l. 1, q. 23, n. 6. [2]) Consil. 275, n. 51. [3]) Obiit a. 1620. Ejus vitae compendium vide apud Hurter, *Nomenclat. lit.* t. 1, p. 230, edit. 2. [4]) Practicarum conclusionum juris, tom. 8, p. 186—187, sub v. Tolerantia. [5]) Cfr. Menoch. *consil. cit.* n. 51. [6]) ,Wenn uns etwas *unangenehm* ist, was wir aber gleichwohl zulassen, obwohl wir nicht allein die Macht, sondern auch das Recht haben, uns seiner zu entledigen, so dulden oder tolerieren wir es'. Ita Ersch und Gruber, *Encyclopaedie*, s. v. Dulden, t. 28, p. 225.

tantum, quum haec omnia citra nostrum incommodum aut molestiam fiant.

Contra, si vicinus noster suas aedes altius aedificando prospectum nostrum impediat, aut novum opus faciendo aquam pluviam in nostram aream dirigat, quin resistere possimus, tunc locus est tolerantiae proprie dictae, et non patientiae tantum; quae, ut dictum est, latius vagatur et ea quoque continet, quae nobis grata sunt.

Hinc patientia in omni tolerantia adest, sed non vicissim in omni patientia etiam tolerantia habetur.

Ex communi usu loquendi tamen *patientiae* nomine uti solemus in adversis et malis a natura provenientibus, contra *tolerantiae* nomen adhibemus in perferendis malis moralibus, quae scilicet majoris mali evitandi gratia tolerare debemus.

13. Mala moralia generatim ea dicuntur, quae legibus adversantur; sunt autem duplicis generis, prout leges ipsae in duas classes distinguuntur, in leges juris naturalis scilicet et in leges positivas. Quae juri naturae conformia non sunt, legibus honestatis et decori repugnant; quae vero juri communi positivo adversantur, semper odiosa censentur esse ac mala, quia consequendo bono communi, h. e., fini societatis obstant.

Utraque mala tolerare saepe necessitas boni communis cogit, nimirum ad majora incommoda evitanda.

14. Et priorem speciem malorum quod attinet, correctio violenta saepe plus damni esset allatura, quam patiens tolerantia eorum, quae princeps citra approbationem fieri patitur[1]). Respublica enim corpori humano aegrotanti multisque laboranti malis in jure comparatur; ‚sic etiam sunt in ecclesia homines mali, ut in corpore humano humores mali'[2]); et ‚cogunt multas invenire medicinas multorum experimenta morborum, detrahendum-

[1]) ‚Wir *toleriren* eine Sache, die uns 1. *widerlich* oder gar schädlich ist, und deren zu entledigen wir nicht nur 2. die Macht, sondern auch 3. das Recht hätten, welches wir jedoch 4. aus freiem Willen nicht thun, *weil das Unangenehme dabei durch anderweite Vortheile aufgewogen wird*'. Ita Schlözer, *Staats-Anzeigen*, t. 16, p. 406, n. 43. [2]) C. Est unitas 49, dist. 4. de cons.

que nonnunquam est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis sincera caritas subveniat'[1]); ,humilitatis profecto et lenitatis oblivio est, si quis se posse facere credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizaniam a frumento putet se posse discernere'[2]).

Homines quippe haud raro tam acriter in malos mores consuetudine firmatos propendunt, ut vel nullo modo vel nonnisi difficillime ab eis possint deduci. Tunc salus reipublicae, quae summa lex est, omnino postulat, ut princeps ,media veluti strata inter rigorem et dispensationem, inter juris subtilitatem et relaxationem incedendo'[3]), pravam consuetudinem patienter toleret, quantumvis eam detestetur atque eradicare mallet.

15. Ejusmodi tolerantiae illustre exemplum in jure[4]) prostat, ex s. Gregorio M. desumptum, circa abusum *τῆς ἀποκρεωσίας* sive comessationum et ebrietatum, quae Dominica carnisprivii evenire solebant'[5]). ,De ipsa Dominica, inquit Pontifex, haesitamus[6]), quidnam dicamus, quum omnes laici et saeculares illa die plus solito caeteris diebus accuratius cibos carnium appetant; et nisi nova quadam aviditate usque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se hujus sacri temporis (Quadragesimae) observationem suscipere putant: quod utique non rationi, sed voluptati, imo cuidam mentis caecitati adscribendum est; unde nec a tali consuetudine averti possunt. Et ideo cum venia[7]) suo ingenio relinquendi sunt, *ne forte pejores existant*[8]), *si a tali consuetudine prohibeantur.* Ut enim ait Salomon (Prov. 30, 33): *qui multum emungit, elicit sanguinem*'.

---

[1]) C. Ut constitueretur 25, dist. 50. [2]) C. Quantus 14, C. 23, q. 4. [3]) C. Ut constitueretur cit. jcta. gl. [4]) C. Denique sacerdotes 6 dist. 4. [5]) Rationem propriam abusus *τῆς ἀποκρεωσίας* explicatam videsis in nostro Kalendario utriusque ecclesiae, t. 2, p. 19. [6]) ,*Haesitamus* non quid juris sit, sed quid statuendum sit, ne scandalum oriatur'. Ita gl. ad h. l. [7]) ,Intelligas de venia poenae, non de venia culpae. Tolerat ergo Gregorius crimen tale propter periculum schismatis vel scandali. Unde non est dicendum, quod ignoscatur eis, licet non puniat eos'. Ita gl. ad h. l. [8]) ,Haec est comparativa permissio' (tolerantia). Ita gl. ad h. l.

16. De altera malorum specie idem ferme judicium esse debet.

Si jam ‚dispensationem, utpote exorbitantem a jure, oportet velut *odiosam* restringi'[1]), multo majus odium continent, quae sine legitima dispensatione contra legem facta superior ex justis rationibus per tolerantiam admittere cogitur. Id autem non raro contingere, supremi legislatores nobis ex ipsa rerum natura ostendunt.

‚Quoniam nulla juris sanctio, verba sunt Joannis PP. XXII, quantumcunque perpenso digesta consilio, ad humanae naturae varietatem et machinationes ejus inopinabiles sufficit, et vix aliquid adeo certum clarumque statuitur, quin ex causis emergentibus (quibus jura jam posita mederi non possint) in dubium revocetur'[2]): idcirco in praxi nonnunquam a juris rigore tantisper recedi tolerando permittitur, quin jus ipsum eodem in casu per dispensationem relaxetur.

Quae eadem juris principia etiam SS. D. N. Leo PP. XIII. (quem D. O. M. diu salvum conservet atque incolumem!) eximio suo orationis nitore planissime explicat celebrique causae de scholis parochialibus in statibus foederatis Americae borealis judicandae scite accommodat. ‚Decreta, inquit[3]), quae praemonente hac Apostolica Sede, in synodis baltimorensibus super scholis parochialibus conscita sunt, constanter servari volumus. Quoniam vero hoc cunctis inest legibus generalibus, ut, si quid singulare eveniat nec opinatum, factum *tolerari* queat, suadente aequitate, quod nonnihil a verbo legis recedat: facile comperiemus, casum hunc incidisse; proinde moderatione ac prudentia duce potius quam legis rigore rem, de qua agebatur, judicandam esse rati sumus', edito scilicet tolerantiae decreto d. 21. aprilis 1892.

Inde vero intelligitur, quomodo saepe ‚*multa* per patientiam *tolerentur*, quae si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debeant tolerari'[4]): quae proinde,

---

[1]) C. Is qui 1, de filiis presbyterorum in VI (I, 11). [2]) In prooemio Clementin. [3]) Epist. ad praesules provinciae neo-eboracensis d. d. 23. Maji 1892. [4]) C. Quum jam dudum 18. X. de praebend. (III. 5).

‚utpote exorbitantia a jure‘, adeo non sint approbata ‚neque trahenda ad consequentiam‘[1]), ut ea immo ‚oporteat velut *odiosa* restringi‘[2]), quum ex perspectis singularibus adjunctis ‚exceptionalium casuum‘ probentur tantum ‚propter necessitatem concessa‘[3]). Verum ea de re fusius agetur infra nn. 50—56.

II.

De rationibus decreti tolerantiae.

17. Praemon. I. Hic non agitur de tolerantia, quam personae privatae aliis, cum quibus aliqua ratione junctae vivunt, aequo animo adhibent; sed quaestio speciatim existit de ea tolerantia, qua auctoritas publica patienter fert, quae tum a propriis subditis tum ab alienis, sibi tamen morali aliquo vinculo cohaerentibus, identidem contra leges fieri videt, quum ea tamen summo atque absoluto jure prohibere posset[4]).

18. Praemon. II. Tolerantia sic accepta varie distinguitur pro vario, quod assumitur, divisionis fundamento[5]).

Ad hunc locum prae caeteris ea distinctio pertinet, qua, ratione habita formae concessionis, alia dicitur tolerantia ‚tacita‘, alia vero ‚expressa‘.

Tolerantia tacita fere cum silentio oeconomico convenit, quod legislator interdum ad majora mala vitanda servat.

Tolerantia expressa subdistinguitur in ‚edictalem‘, quae ‚edicto‘, et in ‚decretalem‘, quae ‚decreto‘ permittitur.

Sumitur autem ‚edictum‘, aliis significationibus omissis, pro constitutione generali principis, quae omnes populos et provincias tenet: atque ea non in privati cujusquam

---

1) Ita regula juris 28 in 6. 2) C. Is qui cit. 3) Cfr. reg. jur. 78 in 6. 4) Ad rem bene animadvertit Rotteck l. c.: ‚Wir haben hier nicht zu reden von der Duldung, die zwischen Privaten — gegenseitig oder einseitig vorkommt oder vorkommen kann; sondern nur von derjenigen, welche von Seite einer öffentlichen — d. h. Staats- oder Kirchen-Gewalt in Bezug auf die derselben Untergebenen oder wie sonst immer mit ihr in Berührung Stehenden ausgeübt oder verweigert wird‘. 5) Cfr. Rotteck, l. c., s. v. Duldung.

negotio neque ad certam aliquam controversiam, de qua consultus est, finiendam respondet; sed edicto generaliter proposito quasi novam aliquam legem sancit, quae ad omnes pertinet. Exemplo in praesenti materia sit famosum ‚edictum', quo Josephus II., imperator, haereticis et schismaticis ditionis austriacae tolerantiam, multipliciter tamen restrictam, concessit d. 13. Octob. 1781[1]). Ex scriptoribus non desunt, qui tolerantiam Judaeorum ad edictalem referant, quod iisdem generali veluti lege data sit juxta ea, quae dicentur inferius n. 38.

‚Decretum' ad particularem aliquam causam spectat ac generatim dicitur, quod re deliberata et cognita, h. e., necessariis tractatibus rite praemissis, statuitur. Ejusmodi decreto jam ordinarie tolerantia conceditur, quam idcirco ‚decretalem' vocamus.

19. Ex tolerantiae decreto facillime apparet ‚actus negativus sonans in pati' (heic nn. 10—11); actus ‚negativus, scilicet h. e., negatio actionis legis sive confirmantis sive dispensantis: quia neque res decreto tolerata confirmatur neque lex relaxatur; actus ‚sonans in pati' vero: quia legislator decretali statuto publice profitetur ac veluti sonanti ore omnibus, quorum interest, palam significat, pati se, ut res tolerata intra fines decreti impune fiat, adjecta etiam prohibitione, ne quis alius impedire licite possit (n. 30).

20. Plura tolerantiae exempla in jure sacro occurrunt. Ex iis pauca tantum proponimus, ut lector ipse suis oculis videat, in singulis casibus revera omnia illa adesse, quae in praecedentibus ad essentiam omnis tolerantiae constituendam requiri diximus, nimirum scientiam ac voluntatem, justas gravesque causas, permissionem comparativam citra approbationem rei toleratae et sine dispensatione legis, tandem res adversas, quae manifestam mali sive odii speciem prae se ferant.

[1]) Refertur in ‚Kaiserl. Königl. Verordnungen in materiis publico-ecclesiasticis' (editionis augustanae, an. 1783, fasc. I, 1770—1882 pp. 60—62).

A.

Exempla tolerantiae ex jure clauso.

Exempla ex decreto Gratiani desumpta: cum brevi declaratione decreti tolerantiae.

21. Initium ducimus a notissima illa et ‚pulchra' glossa ad c. Omnis 4. fin. dist. 3, v. *permittit*[1]), quae talis est: ‚*Tribus modis* dicitur aliquid permitti. *Uno* modo, quod nullo jure prohibetur: ut secundas nuptias contrahere. *Secundo* modo, quod contra constitutiones humanas indulgetur, ut contrahere in gradu prohibito, et est haec *vera permissio,* et dicitur *absoluta permissio*[2]). *Tertio* modo dicitur illicitum permitti, ut magis illicitum vitetur, ut (immoderatae) comessationes die dominica[3]), et permittitur adulterium, ne fiat homicidium, ut C. Si quod verius C. 33, q. 2[4]). Et haec dicitur *comparativa permissio;* sed potius appellatur *tolerantia,* quam permissio; et secundum hanc permissionem dicit canon, quod ea, quae permittimus, non approbamus[5]); et secundum eandem permissionem dicit decretalis[6]), quod ‚multa toleramus, quae si in judicium deduceremus, cassarentur'. De hoc (de comparativa permissione sive de tolerantia) etiam loquitur C. Hi qui 3. C. 26. q. 2.

22. En ipsum illum, qui hic citatur, canonem authentica sua interpretatione illustratum: ‚Hi qui de paginis evangelicis sortes legunt, etsi optandum est, ut id potius faciant, quam ad daemonia consulenda concurrant; tamen ista mihi displicet consuetudo ad negotia saecularia et ad vitae hujus vanitatem divina oracula velle convertere'.

Textum autem sic explicat glossa: ‚Quidam per quosdam versiculos psalterii vel evangelii divinabant futura.

---

1) Textus est: ‚Omnis autem lex aut *permittit* aliquid, .. aut vetat .. aut punit . . aut praecipit'. 2) Alias vocatur permissio concessiva et permissio dispensationis. 3) C. Denique cit. heic n. 15. 4) ‚Non est consilium vel praeceptum, quod hic dicitur, sed est *comparativa permissio,* quae non excusat a peccato. *Sic* ergo permittitur minus malum, ut evitetur majus'. Ita gl. ad h. can. 5) C. Hac ratione cit. 6) C. Jam dudum cit. infra n. 35.

Quare quaesivit Januarius ab Augustino, utrum hoc sit faciendum? Et respondet, quod non; minus tamen malum est hoc facere, quam consulere daemonia, et sic *potius* permittitur, ut evitetur majus malum. Et haec est *comparativa permissio,* de qua notatur supra C. Omnis 4. fin. dist. 3': quae potius appellatur *tolerantia,* quam permissio.

23. Simili ferme ratione aliis in locis primae hujus partis corporis juris canonici passim edicitur, majoris boni causa comparativa permissione minora mala identidem esse admittenda atque inde tolerantiam in perferendis malis cum patientia exercendam, ut ecce, quum agitur de communi ecclesiae bono stabiliendo[1]), vel de pace reipublicae conservanda[2]), vel de schismate ab ecclesia avertendo[3]), vel de salute errantium procuranda; saepe enim ,malitia hominum, etiam nota, pro temporis ratione toleranda judicatur'[4]), ne, ,qui nunc corrigi non possunt'[5]), propter ,intolerantiam'[6]) ,pejores fiant'[7]).

Sed evidentiora haec sunt, quam ut aliis canonibus ejusdem partis codicis nostri opus sit.

24. His autem certa continentur principia canonica, quibus nixi praecipua doctrinae capita circa decretum tolerantiae, brevi quadam corollariorum serie, quadantenus explicare possumus, scilicet: definitionem, naturam, effectum et synonymiam.

Corollar. 1. Decretum tolerantiae ex mente juris canonici definiri potest, quod sit comparativa permissio, in certo et peculiari casu legem aliquam *citra dispensationem*[8]) impune non observandi.

---

[1]) ,Quaedam delicta utcunque toleranda sunt'. Ita C. Exigunt 18. C. 1. q. 7. [2]) C. Tolerandi 1 C. 23. q. 4. [3]) C. Quid ergo 3. C. 23. q. 4. [4]) C. Pudenda 33. C. 24. q. 1. [5]) C. Quicunque 1. C. 23. q. 8. [6]) Cfr. C. Haec autem 15 q. 4. [7]) C. Denique cit. heic n. 15. Totus canon huc pertinet. [8]) Poterat quidem generatim dici ,citra omnem legis relaxationem'; maluimus tamen solius dispensationis mentionem facere: caeteris relaxationis modis ad inferiorem locum (n. 51) rejectis; quia in juribus a nobis adductis ex variis relaxationis speciebus permissio ,dispensationis' tantum affertur tanquam decreto tolerantiae opposita.

Dicitur ,citra dispensationem' facta permissio, quia firmum in suo robore manet legis vinculum, etiam illo ipso in casu, in quo legislator, adhibita tolerantia, legis violationem, justa suadente id causa, impunitam vel simpliciter relinquit vel etiam palam et aperte pronuntiat. Licet enim tolerantia impunitatem violatae legis det coram hominibus, per se spectata tamen ne in casu permisso quidem legis relaxationem tacite involvit, neque proinde legis obligatione solutus existit, qui rem vetitam impune committere sinitur (nn. 37—38).

Atque hinc in oculis situm est discrimen, quod inter dispensationem et tolerantiam intercedit.

25. Dispensatio quippe est ,actus positivus, sonans in agere', quo legislator pro casu dispensato obligatione legis vere solvit, et quidem hoc effectu, ut contra legem aliquid licite et valide fieri queat, vel ut, quod inutiliter et contra legem factum est, subsistat, salvo semper quoad caetera omnia legis vinculo et vigore.

Quo ex duplici dispensationum effectu duplex quoque ostenditur dispensationum usus, dum aliae ad tempus praeteritum referuntur ac circa id versantur, quod jam factum est contra canones; aliae vero tempus futurum respiciunt, prudenter providentes, ne, neglecta publica et communi utilitate, in certo aliquo casu intempestive vigor legis urgeatur.

Prioris generis dispensationes certis in casibus, in quibus contra canones quid actum erat, identidem in jure factas legimus, ut per extraordinariam juris relaxationem existentiae, paci et unionis ecclesiae consuleretur[1]). Eundem ,dispensationis modum[2]) Summi Pontifices hodieque adhibent, dum, quae aliqua in ecclesiae parte

---

[1]) Ex multis exemplis, quae in corpore juris canonici referuntur C. 1. q. 7, juverit attulisse can. Dispensationes 16, in quo Cyrillus Alex. rationem usus earundem dispensationum eleganti comparatione illustrat. ,Sicut ii, verba sunt sancti auctoris, qui mare navigant, tempestate urgente navique periclitante anxiati, quaedam exonerant, ut caetera salva permaneant: ita et nos, quum non habemus salvandorum omnium negotiorum certitudinem, despicimus ex iis quaedam, ne cunctorum patiamur dispendia'. [2]) Ita idem s. Cyrill. l. c.

ab illegitima auctoritate sunt contra canones statuta, vel inito concordato vel propria constitutione gratiose sanant: ,iis temporibus enim ecclesia maternae pietatis eximia documenta praebet, quum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest'[1]).

Alterae dispensationes sunt remedium violandorum canonum in futurum; quatenus prudens legislator, necessitate in antecessum jam pensata, pro re nata quandoque provide quid de rigore legis remittit, ut eo in casu aliquid licite ac valide contra legem fieri queat.

Ab utroque dispensationum genere alienum esse tolerantiae decretum cum actu suo ,negativo, sonante in pati', nemo non videt.

Per tolerantiam enim legislator neque pro casu permisso legis relaxationem facit; sed simpliciter ,actu negativo sonante in pati' fieri sinit, ut lex, quantumvis firma in suo robore permanens, eo in casu tamen impune non observetur[2]).

26. Fieri quidem potest, ut quod contra legem humanam inductum est, primum per tolerantiam tantum subsistat, deinde vero, mutatis rerum adjunctis, permissione ,dispensationis' retineatur, ac tandem, lege penitus abolita, etiam permissione ,approbationis' confirmetur[3]); verum quamdiu res vi decreti tolerantiae dumtaxat fieri licet, ne in casu permisso quidem ulla est solutio vinculi obligationis facta: quum tolerantia non sit actio legis, sed negatio actionis seu dispensationis[4]).

27. *Corollar.* 2. Etiam in tolerantia juridice accepta habetur *comparativa* illa *permissio*, qua, boni communis

[1]) Ita SS. D. N. Leo PP. XIII. Constit. ,Immortale Dei', d. d. 1. Nov. 1885. [2]) Quod idem discrimen inter legitimam dispensationem et decretalem tolerantiam peculiari aliquo exemplo proposito ulterius illustrabitur infra n. 47. [3]) Exemplum habes in religiosis monialium congregationibus, quae solemnitate votorum atque inde clausura papali carent: qua de re videsis nostra Commentaria in Concil. plenar. baltimor. tert., parte 2 p. 147. [4]) Videatur Jac. Zallinger, *Institut. juris natur.* lib. 3, c. 10, § 257.

causa, minus illicitum sive minus malum patienter admittitur ad praecavendum magis illicitum seu pejus malum.

Ea in re sacri canones mire consentiunt cum doctrina s. Thomae, qui ejusdem hujus juridicae tolerantiae rationes breviter sic describit: ‚In regimine humano illi, qui praesunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne pejora incurrantur‘[1]). Est ergo comparatio directa inter duo mala, inter minus, quod fieri permittitur, et inter majus, quod per tolerantiam minoris avertitur.

28. *Collorar. 3.* Genuinam notionem decreti tolerantiae pervertunt, qui comparativam illam, quae in tolerantia inest, permissionem ita explicant, ac si directa comparatio inter duo bona stabiliretur, inter minus, quod tolerando probetur, et inter illud, quod in eodem ordine est absolutissimum (Ideale), quod nonnisi per accuratam legis communis observationem obtineatur[2]).

Si qua ratio boni in objecto tolerato inest (inest autem plerumque), ab ea legislator in edendo tolerantiae decreto prorsus abstrahit; ea enim, quae jam sunt bona ac juri conformia, non aegre et moleste tanquam res adversas, ingratas atque odiosas patienter fert (quae teste etiam jure sacro, vera et propria est tolerantiae indoles), sed vero sponte sua libenterque cum approbatione admittit. Ergo prior ille comparativae permissionis terminus, quam decretum tolerantiae proxime respicit ac fieri sinit, formaliter est id, quod a jure deflectit indeque illicitum ac malum dicitur. Alter terminus autem est majus aliquod malum, saepe in jactura majoris boni positum, quod spectatis adjunctis sequeretur, si minus malum non toleraretur.

29. Atque haec veritas, quae ex antiquo jure manifesta est, insigni etiam exemplo nostrae aetatis illustrari

[1]) 2. 2. q. 10. a. 11. [2]) Eo in errore versatur ephemeris L'osservatore romano‘, quae rationem decreti tolerantiae in eo ponit, ‚perchè non raggiunge quel grado di perfezione, al quale la Chiesa giustamente aspira‘. (d. 31. Maji 1892). Praeiverat falsus interpres in ‚Baltimore Sun‘ (d. 11. Maji 1892) infra laudandus n. 82.

potest. Quum dę persecutione ecclesiae catholicae in Germania (vulgo Kulturkampf) finienda aut saltem mitiganda ageretur anno 1887, complexio legum in comitiis berolinensibus sancitarum Summo Pontifici proponebatur judicanda. In iis inter plura statuta sacris canonibus contraria et ecclesiae commodis damnosa etiam multa reperiebantur, quae quum a jure communi non amplius recederent, paci ecclesiasticae cum variis commodis pariendae idonea esse videbantur [1]): quorum bonorum jacturam rejectio legum certe attulisset. Quid ergo Pontifex, in conspectu istorum duorum malorum positus? In salutem fidelium nunquam non intentus atque omnes ejus obtinendae vias inire paratus, ratione ac prudentia duce, Leo PP. XIII. judicavit, locum esse tolerantiae, praesertim quia jam ‚minus molesta‘ apparere posse videbatur, quum ‚immitibus illis persecutionis legibus aut abrogari aut certe derogari intelligeretur‘ [2]): ubi vides, terminum comparativae permissionis, h. e., id quod tolerari posse edicitur, seu receptionem propositarum legum, a sacris canonibus recedentium, in recto non exhiberi sub ratione alicujus boni, quod legislator ultro ac libenti animo cum approbatione admittat, sed vero sub ratione alicujus rei adversae atque odiosae, quae minoris mali instar ‚non sine molestia tolerari‘ debeat, ne scilicet gravissima jactura summi boni fiat: qua eadem ratione terminos comparativae permissionis decreti tolerantiae in antiquis canonibus descriptos legimus.

30. *Corollar. 4. Effectum decreti tolerantiae* juxta doctores classicos tradunt esse ‚impunitatem intra fines permissos cum jure, ne quis impediat‘ [3]).

Duplex ergo distinguitur *juridicus effectus* decreti tolerantiae; prior ad eum refertur, quem legislator tolerando impune jus migrare sinit; alter caeteros homines respicit.

[1]) Vide Allocut. d. 23. Maji 1887, in Civiltà Cattol. 1887, t. 2, pp. 612—616. [2]) Cfr. Lit. apost. ad archiepiscop. colonien. d. d. 7. April 1887, in ‚Archiv für kath. KR.‘ t. 58, pp. 158—161. [3]) Omnium loco videantur Hugo Grotius, *De jure belli et pacis*, lib. 1, c. 1, §§ 9 et 17; et Jacob. Zallinger, l. c.

Quoad illum, qui rem lege vetitam agere permittitur, effectus in duobus consistit, nimirum in *facultate*, non vero in necessitate, licentia per decretum tolerantiae permissa utendi, et in *legitimo* licentiae usu, h. e., in ejusmodi usu, qui ad legitimas interpretationis regulas sit exactus[1]).

Respectu habito aliorum ab eo, cui permittitur, effectus decreti tolerantiae is est, ut iidem obligentur, ne eum, qui decretum obtinuit, in ‚legitimo' usu licentiae suae turbent vel impediant: simili modo scilicet ac negativa obligatione prohibentur, ne privilegiato in legitimo privilegii usu impedimentum ponant[2]).

Synonymiam quod spectat, de solo nomine ‚licentia' aliquid est animadvertendum, quoniam recentior quidam auctor istud vocabulum communem cum decreto tolerantiae significationem habere scribit. Verumtamen asserta haec synonymia simpliciter admitti non potest, licet ambae voces in una generali potestate significandi, h. e. in sensu ‚permissionis', ferme conveniant.

De propria singulorum terminorum interpretatione igitur pauca haec accipe.

De licentia cum tolerantia comparata.

31. Permissioni ‚licentia' respondet; in praesenti enim argumento licentia ipsa est facultas id agendi, quod fieri permittitur; et verbum ‚licet' tantundem valet ac ‚fas est' quippiam facere, nullo impediente. Inde vero ‚licitum' sumitur pro omni eo, quod per quascunque leges voluntatemve hominum fieri potest.

Quemadmodum autem triplex est permissionis species, ita et tripartita licentia, triplici permissioni respondens, in jure distinguitur[3]); prior licentia ‚approba-

---

[1]) De authenticis regulis in interpretatione decretalis tolerantiae adhibendis agetur infra nn. 63—69. [2]) De similitudine inter tolerantiam et privilegium plura dicemus n. 71.. [3]) Ratione habita necessitatis licentiae petendae, aliam licentiae divisionem ex jure stabiliunt Icti: quemadmodum pluribus ostensum a nobis est in dispu-

tionis', altera licentia ‚dispensationis', tertia licentia ‚comparativae permissionis'.

32. Licentia ‚approbationis' id nobis licet, quod ipso jure declaratur permissum, ut ecce: licentia nubendi ‚ab Apostolo concessa'[1]).

Licentia ‚dispensationis' est venia, qua nobis per providam et gratiosam legis relaxationem id indulgetur, quod limites juris excedit, ut matrimonium in gradu prohibito[2]): quo in exemplo habes licentiam ejus etiam, quod sine permissione nullitatis vitio laborasset. Aliis in casibus licentiam legimus factam ejus rei quae, seclusa concessione, illicita quidem fieret, semel autem facta ‚viribus subsisteret': cujusmodi est licentia, certis sub conditionibus, simoniaco data, ut sacerdotio fungi pergat[3])

Licentia ‚comparativae permissionis' tandem, boni communis causa, tolerando seu non impediendo tribuit libertatem necessariam, ea impune faciendi, quae, in se spectata, legibus, aliquando imo et honestati, non conveniunt: quo sensu ‚non omne, quod licet, honestum' esse dicitur in jure[4]): quum ea quoque, quae virtuti et honestati opponuntur, majoris mali vitandi causa, legislator identidem impune fieri permittat[5]). Et haec per voluntatem legislatoris ‚licere' censentur, verbo scilicet pressiori hoc sensu pro licentia comparativae permissionis rite accepto.

33. Quae tertia licentiae species ad tolerantiam pertinet, quum nimirum legislator propter gravissima rerum locorumque adjuncta, boni communis causa, factum aliquod minus honestum expresse contra legem permittere cogitur, licet forte illi, qui auctores sunt facti, paratos se declarent, a juris violatione discedere, si id fieri jubeat. Si enim factum in ejusmodi adjunctis evenerit, ut ejus

tatione ‚de libertate clericorum religionem ingrediendi' n. 34 (Disputat. acad. II, pp. 81—85).

[1]) C. De iis 5. dist. 28. [2]) C. Quaedam lex 20. C. 35 q. 2 et 3. [3]) C. Praesentium 3. ult. C. 1. q. 5. [4]) L. Non omne 144 *D*. de diversis regulis juris (lib. 50, tit. 17). [5]) Hinc gl. ad leg. 144 cit. ‚Licitum, inquit, non continuo honestum. Licitum porro dicitur, quod per leges permissum, quod impunitum est legibus'.

rescissio majorum fieret causa malorum in republica, legislator id, prudentia duce, nulla habita ratione desiderii aut voluntatis auctoris facti, jam tolerare debet, quantumvis licet illud judicio suo non probet[1]).

Atque tertia haec licentia violatoribus juris per tolerantiam facta, ad illos actus pertinet, qui suo certo ac proprio vocabulo appellantur ‚actus negativi sonantes in pati'. Ejusmodi actu negativo igitur quum legislator impune fieri sinit, quae legibus vetita sunt, ea jam per voluntatem suam impunita indeque secundum licentiam comparativae permissionis licita declarat[2]). Exempla hic non proferimus, quia omnes tolerantiae casus hucusque jam adducti atque porro adducendi eandem licentiae speciem illustrant.

Exempla ex decretalibus selecta.

34. In collectionibus decretalium plura quidem reperiuntur, quae praesenti argumento illustrando accommodari

[1]) Est sane quod mireris, in ephemeride ‚L'osservatore romano' non obscure insinuatam fuisse doctrinam (d. 31. Maji 1892), ex eo, quod legislator factum non rescindendo patienter toleret, quum tamen auctor facti etiam improbatione contentus fuisset, deduci debere, tale factum, in se spectatum nullatenus dici posse vituperabile ac damnosum: tanquam si identidem non eveniret, ut legislator per ipsa rerum adjuncta cogatur, factum utut inhonestum, semel tamen positum, ex prudentiae regulis tolerare, ‚ne scilicet, eo sublato, majora bona tollantur, vel etiam pejora mala sequantur' (s. Thom. 2. 2. q. 10. a. 10).

[2]) Quod clarissimus D. prof. Bouquillon persuadere nititur in New York Freeman's Journal, d. 4. Junii 1892, formulam: ‚tolerari potest', qua decretum tolerantiae communiter conceptum est, ejusdem esse significationis ac verbum ‚licet', id verum esse patet, si verbum ‚licet' pro ultima hac comparativae permissionis licentia sumatur, qua ea quoque ‚licere' dicuntur, quae virtuti et honestati non usquequaque conveniunt. Si autem synonymia terminorum (‚tolerari potest' et ‚licet') generatim assereretur atque etiam ad duas priores licentiae species extenderetur, ac si id, quod ‚tolerari posse' dicitur, eo ipso censeatur licitum sive licentia approbationis sive licentia dispensationis, tunc enimvero esset omnino improbanda ac rejicienda, quum tolerantia proprie dicta ambas istas licentiae species excludat: seposita etiam animadversione, a saeculo non esse auditum, in sacris romanis congregationibus licentiam sive approbationis sive dispensationis unquam fuisse per simplex decretum tolerantiae factam.

possunt. Prae omnibus vero propius huc pertinent binae literae decretales Innocentii PP. III., quae in compilatione Gregorii PP. IX. exhibentur lib. 3, tit. 5 ,de praebendis et dignitatibus'. Eas solas in rem nostram convertisse, satis habemus.

C. Jam dudum 18. X. de prabend.

35. Textus est classicus, quod, notante Panormitano, in hac materia, quotidie allegetur proindeque fideliter ,sit mente tenendus'[1]). Eo igitur capite Innocentius PP. III circa vetitam beneficiorum multitudinem ad extremum haec scribit: ,Multa *per patientiam tolerantur*, quae si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debeant tolerari'.

Quae eum in textum juris periti pluribus sunt commentati[2]), ea brevi in conspectu ponit Prosp. Fagnanus, *Commentar.* in ipsum hoc caput, nn. 11—12. Ex iis pauca pro instituti nostri ratione accipe.

,Ultimo nota ex fine literae, ex simplici tolerantia Papae non induci tacitam dispensationem in his, quae sunt contra jus; quia multa per patientiam tolerantur, quae, si deducta fuerint in judicium, exigente justitia tolerari non debent: ut hic in textu, qui quotidie ad hoc consuevit allegari et firmant gloss. . Quoad ipsum pluralem (plura beneficia possidentem) patientia Papae non operatur, ut per hoc juste teneat; ad hoc enim non sufficit sola patientia, sed exigitur dispensatio expressa; *et in hoc casu loquitur hic textus.* Sed quantum ad subditos, ut ipsi juste ab eodem plurali sacramenta recipiant ex tolerantia Papae, bene inducitur tacita dispensatio, seu permissio (concessiva), quia putant eum juste tenere, et sic in eis non deficit fides'.

---

[1]) Commentar. ad h. l. n. 5, ubi lectorem etiam remittit ad ,pulchram glossam' c. 4. fin. dist. 3, quam supra dedimus n. 21.
[2]) Interpretes hujus incisi videsis magno numero congestos a Barbosa, *Collectan. doct.* ad h. l. et a Gonzalez, Comment. ad h. l.

C. Nisi essent 21. eod. tit.

36. Succedit C. Nisi essent 21 ejusdem tit., quo agitur de compositione (vulgo accomodamento) a ‚viris providis et honestis facta', et ab omnibus, quorum intererat, acceptata, cujus tamen, quia aliqua ex parte a jure communi deflectere videbatur, approbatio apostolica fuerat petita. Innocentius PP. III. confirmationem quidem non dedit, sed prudenti moderatione usus ‚compositionem toleravit, ob causas in textu expressas, videlicet, quia facta fuit pro bono pacis et utilitatis, et quia placuit omnibus. Et si Papa compositionem non tolerasset, auctoritas judicis non fuisset sufficiens, quia de jure hoc facere non poterat. Unde dicit Papa: nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, et ad tempus, ut sequitur'[1]). Et licet responsum papale faciem quasi dispensationis prae se ferat, ‚non tamen inducit novum jus, quia Papa non dicit *confirmamus*, sed *toleramus* . . Quare ergo dixit toleramus? Credo, ut ex toto non videretur laudare hoc factum; ne assumeretur in exemplum, dicit, se tolerare; multa enim sunt toleranda, non laudanda, propter malum, quod posset subesse'[2]).

C. Ad conditorem 3. de v. s. Extrav. Joann. XXII.

37. Ex decretalibus extravagantibus satis fuerit indicasse C. Ad conditorem 3. de verbor. sign. jcta. gl. (Extrav. Joann. XXII, tit. 4), ubi ad eandem mentem antiquorum canonum ecclesiae patientia dicitur ‚frequenter tolerare multa, quae in judicium deducta minime toleraret', indicatis etiam duobus capitibus ex jure romano, quibus vera tolerantiae notio illustretur.

38. Coronidis instar solemne exemplum genuinae tolerantiae accipiatur ex *admissione Judaeorum*, qui, licet in republica saeculari jam usum jurium communium, ut

[1]) Ita gl. ad h. l, v. Ex jussione. [2]) Ita Panormitan. ad h. c., n. 9.

alii cives omnes, habeant, ex jure canonico tamen solummodo *tolerantur*[1]). Tantum vero abest, ut ex tolerantia synagogarum approbatio judaicae superstitionis inferri possit, ut imo expresse dicatur, ,quod tolerantia haec Judaeis non dat licentiam peccandi' ritus suos exercendo, sed solam liberationem a poena, ad similitudinem canonis Denique fin. dist. 4[2]).

Ejus autem tolerantiae ecclesiae hae visae sunt probabiles rationes: 1. quod iidem tenacissime inhaerentes scripturis veteris testamenti, quas a patribus acceperunt, ,tanquam capsarii nostri nobis serviant, et studentibus nobis codices portent; quia ex eorum codicibus et ipsos convincimus[3]) et infideles'; etenim quando agimus cum paganis, et ostendimus, hoc evenire modo in ecclesia Christi, quod antea praedictum est, ne putent nos finxisse illas praedictiones, proferimus codices Judaeorum; ,de chartis inimici convincitur adversarius'[4]); 2. quod ipsa calamitate, et caecitate sua, quae apertissime praedicta est in libris sacris, quos tenent, perpetuum et irrefragabile testimonium Christo et ecclesiae perhibeant; 3. quod aliquando convertendi sint ad fidem christianam, ut ex Judaeis et gentibus fiat unum ovile, et unus pastor.

Est ergo permissio ,culturae ritus'[5]) mosaici ejusque legalium ,observantiarum'[6]) vera ac genuina tolerantia, quam ecclesia ex justis probatisque rationibus Judaeis citra omnem approbationem debitis cum cautionibus patienter adhibere consuevit.

---

1) Cfr. C. Consuluit 7. de Judaeis (V, 5). 2). C. Qui sincera 3, dist. 45 jcta. gl. 3) ,Agendum est, ut ratione et mansuetudine provocati (Judaei) sequi nos velint, non fugere: ut eos, *ex eorum codicibus ostendentes quae dicimus*, ad sinum matris ecclesiae Deo possimus auxiliante convertere'. Ita C. Qui sincera cit. (s. Gregor. M.). 4) Ita s. August. *Enarrat. in psalm. 40*, n. 14; apud Migne Patr. lat. t. 36, p. 463. 5) C. Qui sincera cit.. 6) C. Consuluit cit.

B.

Exempla ex recentioribus actis Sanctae Sedis deprompta.

39. Praemonit. 1. Temporum indoles effecit, ut posterior aetas multo feracior esset decretorum tolerantiae, quam longa illa periodus, in quà antiquiores leges ecclesiasticae in unum corpus juris sacri coaluerunt. Si enim in ipso jure clauso ‚hoc jam frequenter contigit, ut ex variatione personarum, causarum, temporum et locorum statuta variarentur humana, praesertim quum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcebat'[1]), multo facilius nunc in mutatis rerum omnium adjunctis evenire debuit, ut, ‚quod attenta consideratio ex conjectura probabili profuturum antea crediderat, subsequens experientia nocivum ostenderet'[2]), utque ita ‚suadente subjectorum utilitate'[3]) ‚pro consideratione aetatum, temporum et gravium necessitatum'[4]) ‚severitati esset aliquid detrahendum'[5]).

Ne vero in austeritate priscorum canonum ‚secundum temporum varietatem' mitiganda jura ipsa dispensatione relaxarent, ad id consilii devenerunt Romani Pontifices, ut ‚media strata inter rigorem et dispensationem incedendo'[6]) identidem plura *tolerando* fieri permitterent, quae approbare noluerunt.

40. Praemonit. 2 Quum quae in farragine voluminum resolutionum romanarum magno numero continentur, ‚decreta tolerantiae' aequalem ferme rationem formae e valoris habeant, indeque ex ordine prolata vix ulla varietate oblectent, metuendum sane est, ne longa enumeratione id committamus, ut lector molestam temporis moram sentiat. Cui incommodo ut aliqua ratione occurramus, varietatem, qua decreta ipsa carent, quadantenus supplere

---

[1]) C. Ad conditorem 3. de verb. signif. Extrav. Joann. XXII (tit. 14) jcta gl. v. potius quam prodesse, et C. Non debet 8. X. de consang. et affin. (IV, 14). [2]) C. Quia in futurorum un. de torneamentis (t. 9), et C. Quia nonnunquam 2. de verb. signif. (t. 14) Extrav. Joann. XXII, utrobique in harenga. [3]) C. Alma mater 24 de sent. excom. in 6. [4]) C. Sententiam C. 35, q. 9. [5]) C. Super eo 51. X. de sent. excom. [6]) C. Ut constitueretur dist. 50. jcta. gl.

studebimus varietate temporum, locorum, personarum et materiarum: ea cautione paritatem, quantum fieri poterit, declinaturi atque ex ea satietatem ac taedium.

Ex tribus saeculis 16, 17, 18 totidem exempla adscribemus: ex singulis saeculis singula decreta selecturi.

Ex saeculo hoc nostro autem quatuor notabiliores casus memorabimus, in quibus Sedes Apostolica pro certis ac peculiaribus negotiis, in quatuor magnis societatibus civilibus cum difficultate obortis, decreta tolerantiae edidit; societates civiles dicimus in Austro-Hungaria, in Italia, in Galliis atque in foederatis Americae borealis statibus.

Atque authentica haec Sanctae Sedis acta evidentem ac sole clariorem facient probationem, ejus in edendis tolerantiae decretis plenam sapientiae, prudentiae, aequitatis rationem semper fuisse, hodieque esse sub gloriosissimo Pontificatu Leonis XIII, cujus pastoralis sollicitudo, virtus, sapientia se in omnium, etiam remotissimi Orientis et Occidentis, populorum utilitatem, ut ‚antiquorum declaratione ac novorum editione jurium‘, ita et discreta indulgentis tolerantiae pronuntiatione insigniter effundit[1]).

Exempla ex tribus saeculis 16, 17, 18.

Jubilationes sine indulto apostolico obtentae.

41. Jubilationes, quae canonicis et beneficiatis post servitium quadraginta annorum vacationem ita concedunt, ut ‚nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas

---

[1]) Has aliasque magnas praeclarasque in omni genere virtutes optimi sapientissimique pontificis, quas nulla unquam obscurabit oblivio, per occasionem episcopalis ejus jubilaei, graviter, solide, digne atque ad tempus accommodate exequitur Dr. H. J. Schmitz, parochus primarius Crefeldensis in festiva oratione: ‚*Leo XIII in unserer Zeit von Gottes Vorsehung der Kirche zum Heile und der Welt zur Rettung gegeben. Predigt zum bischöflichen Jubeltage Leos XIII*‘.

‚Quem videas per te, si tibi corde sedet.‘

sui canonicatus percipere valeant, perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interessent', sine expresso indulto pontificio obtineri nequeunt, quia sunt contra jus commune. Quum tamen Sedi Apostolicae proponeretur quaestio, quidnam censendum esset de statutis illarum ecclesiarum, in quibus jubilationes sine praevio recursu ad Summum Pontificem contra canones[1]) conceduntur, S. Congregatio Cardinalium concilii tridentini interpretum, annuente etiam Gregorio PP. XIII, declaravit, ista statuta gravibus de causis nullo positivo actu esse sive approbanda sive improbanda, sed *toleranda* tantum.

Jubilationes autem rebus a jure exorbitantibus accenseri, et in iisdem declarandis non secus atque in caeteris omnibus negotiis odiosis utendum esse restrictivis interpretationis regulis, acta praedictae S. Congregationis perspicuum faciunt[2]).

De modo providendi sustentationi nonnullorum missionariorum.

42. ‚Quaeritur: utrum missionariis, in regno Sinarum, ex dispensatione pontificia sine titulo sustentationis ad sacros ordines promotis, liceat *ad sui sustentationem* mercaturam exercere, pecunias suas mercatoribus dare et cum ipsis societatem inire, maxime, quum non habeant in illis partibus aliam rationem se sustentandi'.

‚Licet Sedes Apostolica alias negotiationem clericis, etiam missionariis, adeo vetitam declararet, ut eam neque per se ipsos neque per alios ulla ratione possent exercere, in praesenti casu tamen per organum S. Congregationis de Propaganda Fide opportuna cautione adhibita rescripsit: ‚*toleratur* ad sustentationem propriam

---

[1]) Ex jure communi infirmitas canonicorum et beneficiatorum aut gravis eorundem aetas remedium habet coadjutoriae aut indulti vacandi a choro durante infirmitate, quemadmodum pluribus prosequitur de Luca, *Discursu* 15, nn. 6 sqq. [2]) Plura ex decretis ad jubilationem spectantibus videsis apud Schulte-Richter, in edit. conc. trid. ad sess. 24, c. 13, nn. 92—115; et apud Phillips, *Kirchenrecht*, t. 7, pp. 390 -391.

tantum, modo tamen contractus sit ex sua natura licitus, et tantum solummodo impendant, quantum honestum patrimonium constituit'[1]).

Quo ex rescripto etiam colliges, in interpretatione decreti tolerantiae nominatim praeter alias regulas restrictivas adhibendam esse normam canone Quod pro remedio C. 1. q. 7, propositam: ,Quod necessitas pro remedio reperit, cessante utique necessitate debet cessare pariter, quod urgebat: quia aliud est ordo legitimus, aliud quod usurpatio ad praesens fieri tempus impellit'.

Decretum tolerantiae ad controversias inter Sedem Apostolicam et regem Sardiniae componendas.

43. Sed nullibi clarius patet ratio atque indoles decreti tolerantiae quam in actis Sedis Apostolicae, quibus antiquae controversiae, inter Sanctam Sedem et aulam taurinensem diu agitatae fuerunt amice compositae. In iis autem, discrimine facto inter res, quas Papa actu positivo posset, inita conventione, approbare, et res, quas nullo actu positivo concedere, sed solum per actum negativum, sonantem in pati, *tolerare* valeret[2]): res tolerabiles, pacis causa, debitis sub cautionibus se patienter toleraturum profitetur Pontifex, ut ecce, circa placetum regium, benigne pollicetur, sinere se fieri ,simplicem inspectionem, nullo literis apostolicis apposito signo, vel decreto ad earum executionem dato'[3]). Tolerantia igitur proprie dicta ab omni specie approbationis abhorret.

---

[1]) Decret. edit. d. 23 novemb. 1665 (Act. S. Sed. ann. 1892, vol. 24, append. 3, p. 634). [2]) Recole quae ea de controversia jam supra sunt adnotata n. 7. [3]) ,La seconda cosa, sopra di cui la Santa Sede Apostolica *non puote che tollerare*, è quella dell' Exequatur preteso dalla potestà per le bolle e brevi Apostolici, e la *tolleranza* in tal proposito si avrà, quando l'Exequatur si riduca alla semplice visura, senza apporre alcun segno o far alcun decreto in ordine all' esecuzione delle dette bolle e brevi'. Cfr. Traités publics, locis superius sub n. 7 jam indicatis

Exempla ex praesenti hoc saeculo 19.

Tolerantia assistentiae passivae in matrimoniis mixtis illicite initis in Austria et Hungaria[1]).

44. Rationes hujus tolerantiae facile assequemur, si quae de multiplici permissione nuptias conciliandi generatim dicta jam sunt, speciatim ad matrimonia catholicos inter et acatholicos ex ordine transferamus.

Juxta ea igitur, quae superius anmadvertimus (nn. 21, 31—33), triplex permissio sive licentia distingui debet in ordine ad contrahendum matrimonium; nimirum: permissio approbationis, permissio dispensationis et permissio comparationis sive tolerantia.

Permissio ‚approbationis' tunc habetur, quum simpliciter permissum declaratur nuptias contrahere, quae nullo jure prohibentur.

Permissione ‚dispensationis' impedimenta laxantur, quae matrimonium vel prorsus irritum vel minus laudabile et honestum faciunt.

Permissio ‚comparationis' seu comparativa, ‚quae notante gl. (n. 21) potius appellatur *tolerantia*', impedimentum non removet, quum ex natura sua non sit actio legis, sed actionis negatio; impunitatem tamen praestat nuptias cum impedimento contrahendi ipsasque nuptias, utut flagitiose initas, securas ab indiscretis impugnationibus reddit.

45. Quae triplex permissionis distinctio, si nuptiis catholicos inter et acatholicos accommodetur, ‚exploratum satis superque est', primam speciem, seu permissionem ‚approbationis' in iisdem nunquam haberi posse, ‚quum ecclesia

[1]) Quamvis praesens tolerantiae decretum latius pateat atque ex indulgentia Sedis Apostolicae etiam ad plures alias regiones jam sit per nova decreta extensum, in ejus descriptione tamen epistolas et instructiones romanas ad episcopos austriacos et hungaros missas sequemur, quum haec documenta passim in extenso in manualibus libris austriacis juris canonici exhibeantur; ut ecce in Ginzel, *Handbuch des neuesten in Oesterreich geltenden Kirchenrechtes*, t. 1, Anhang, pp. 27—30, 38—45.

tanquam illicitas planeque perniciosas semper habuerit ejusmodi nuptias, tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum pravamque sobolis institutionem'.

Altera permissio autem, improbatam illam conjunctionem catholicorum cum acatholicis licite ineundi, interdum locum habet, quando nimirum ecclesia gravibus de causis ,aliquid de canonum severitate remittens, praescriptis necessariis conditionibus, impedimentum dispensando laxat': quae concessiva permissio id efficit, ut nuptiae mixtae valide et licite concilientur, servatis scilicet regulis, quae injungi a Sede Apostolica consueverunt.

,Quodsi vero fiat, ut, conantibus licet contra per debitas suasiones hortationesque sacris pastoribus, catholicus vir aut mulier in contrahendi mixti matrimonii citra necessarias cautiones sententia persistat', atque inde permissio dispensationis haberi nequeat: tunc parochus, ex jure communi, ,a quocunque interventu abstinere debet'[2]): ne per ejus praesentiam ,peccaminosa conjunctio' firmitatem accipiat.

46. Verum in tristi ejusmodi exceptionali casu ex indulgentia Sedis Apostolicae locus esse potest permissionis comparativae seu ,tolerantiae quatenus supremus ecclesiae magistratus patienter atque impune fieri sinit minus malum, ,quod vel impediri omnino nequit vel si impediatur, ,funestioribus etiam in commodis facilem aditum potest patefacere'. Qua incomparativa permissione, ex prudentia ac moderatione citra dispensationem toleranter indulta, ipsa illa ,tolerantia assistentiae materialis seu passivae' consistit quam ecclesia illicitis nuptiis catholicos inter et acatholicos valide ineundis identidem adhibere solet. Ejus illustrationi inserviat ,Instructio Sedis Apostolicae' ad episcopos nostros per Hungariam constitutos data die 30. April. 1841.

Quum episcopatus Hungariae Gregorio PP. XVI ,fusius exposuisset, propter denegatam parochi assistentiam non solum clerum in gravissimas redigi angustias,

[1]) Ita s. Officium, die 17. Junii 1829.

sed etiam majoris mali scandalique periculum in religionis perniciem impendere: Papa ‚rescribens ad memoratas literas (episcoporum), *tolerari posse* declaravit, ut, quoties ex temporum, locorum ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, omissis licet necessariis cautionibus, sine graviori discrimine nequeat impediri, atque insuper ecclesiae utilitati communique bono expedire videatur, si illud. quantumvis vetitum et illicitum, coram catholico parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur, idem catholicus parochus, aliusve sacerdos ejus vice fungens, matrimonio ipsi materiali tantum praesentia, nullo adhibito ecclesiastico ritu intersit, perinde ac si partes unice agat meri testis, ut ajunt, qualificati seu authorisabilis, ita scilicet, ut, utriusque conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum valeat referre‘.

Ea in descriptione omnia elementa constitutiva verae proprieque dictae tolerantiae clarius efferuntur, quam ut ulteriori declaratione opus sit.

47. Unum tamen restat, ad quod lectoris animum, per occasionem praesentis negotii, iterato advertendum censemus; diligenter nimirum attendat oportet discrimen, in quo utriusque permissionis, dispensationis et tolerantiae, effectus versantur (heic nn. 24—25).

De vi ac ratione permissionis ‚dispensationis‘ Concil. plenar. baltimor. tert. recte animadvertit[1]: ‚Quum matrimonium mixtum debitis cautionibus superius indicatis et dispensatione obtenta contrahitur, illud tanquam legitimnm, ut patet, haberi debet, utpote inter personas initum, quas ecclesia agnovit in illis adjunctis habiles ad valide et licite matrimonium contrahendum‘: impedimento scilicet per providam legis relaxationem in peculiari illo casu rite sublato.

Tolerantia contra impedimentum non laxat, ideoque matrimonium, a personis inhabilibus ad licite contrahen-

[1]) Tit. 4 c. 2, 132.

dum, flagitiose ac vitiose contrahitur; et licet valide consistat, tamen ‚peccaminosa' manet ‚conjunctio'; nec aliud operatur comparativa permissio seu tolerantia, quam ut nuptiae illae impunitae sint coram hominibus atque ab indiscretis impugnationibus securae existant.

Tolerantia militiae civicae in dominiis S. Sedis usurpatis indulta.

48. Ex duobus responsis ea de re a s. Poenitentiaria editis alterum ipsos milites spectat, alterum vero officiales. Utrique commune est, ut majoris incommodi vitandi causa minus malum tolerari posse dicatur, si nimirum omnes illae conditiones concurrant, quae ex communi doctorum sententia cooperationem ad malum honestare valent.

Sed juverit ipsis s. Poenitentiariae verbis adscriptis genuinum tolerantiae sensum illustrare.

De ipsis militibus igitur dubium fuerat propositum: ‚Che debba dirsi intorno a quegli individui, che contro loro volontà son ascritti e vengono costretti a far parte della medesima guardia (civica o nazionale)'?

S. Poenitentiaria respondit d. 10. dec. 1860: ‚Posse tolerari milites civicos coactos, qui militiam absque gravi damno seu incommodo deserere nequeunt, dummodo tamen animo parati sint eam deserere, quam primum poterunt, et interim abstinere ab omnibus actibus hostilitatis in subditos et milites legitimi principis, et ab actibus contra bona, jura et personas ecclesiasticas'[1]).

De officialibus autem aliquis episcopus postea quaesivit: ‚Se sia lecito accettare gli officî inferiori della guardia nazionale, come di sergente, caporale e simili, ne' quali non si presta alcun giuramento?'

Et s. Poenitentiaria re diligenter perpensa die 3. April. 1872 respondit: ‚Quatenus coacti militiae nomen dederint, et servent eas animi dispositiones, quae injunctae sunt a sacra Poenitentiaria in responsis editis die 10. Decemb. 1860, posse tolerari, ut ad redimendam

[1]) Cfr. Acta S. Sedis, t. 1, pp. 559—560.

vexationem durioris servitii gradum aliquem ex inferioribus acceptent, in quo juramenti praestatio non exigitur'[1]).

Quo responso quamvis s. Poenitentiaria de ipsa honestate actionis in casu proposito judicium non tulerit, ejusdem licentiam tamen, comparativa permissione facta, ita dedit, ut, majoris mali vitandi causa, impune jam praestari posse declararet, quae in se spectata honestati non omni ex parte conveniunt[2]): qua in ,licentia comparativae permissionis' ipsam tolerantiam sitam esse supra docuimus n. 21, nn. 32—39.

Caeterum de duobus istis responsis non est, cur hic plura dicantur, postquam recens doctor romanus rectam eorundem interpretationem adversus clarissimum D. Bouquillon, non tam personam professoris gerentem, quam partes advocati agentem[3]), solide graviterque stabilivit[4]).

Tolerantia nonnullis magistratibus laicis in causis divortii civilis munus judicis vel syndici obeuntibus indulta.

49. Demonstrata juridicae tolerantiae natura egregie illustratur celebri decreto pluribus magistratibus laicis a supremo tribunali Sancti Officii concesso, quo eisdem declaratur, ,propter gravissima rerum, temporum ac locorum adjuncta' *tolerari*, ut in civili suo foro in causis divortii omnes officii sui partes impleant, dummodo catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur, atque nihil aliud intendant, quam sententiam ferre vel executioni mandare, quae solum civilem contractum spectet[5]).

---

[1]) Cfr. Acta S. Sedis, t. 7, pp. 146—147. [2]) Recole regulam juris superius traditam n. 32, licitum latius patere quam honestum. [3]) In ,New York Freeman's Journal', d. 4. Jun. 1892. [4]) In opusculo: ,La questione scolastica degli Stati-Uniti e la decisione della Propaganda pp. 26—31. [5]) Huc prae caeteris faciunt duo responsa S. Sedis, alterum a Congregatione S. Romanae et Universalis Inquisitionis d. d. 26. Julii 1887, alterum a S. Poenitentiaria d. d. 24. Septemb. 1887; quae ambo exhibentur in ,Archiv für kath. Kirchenrecht' t. 68, pp. 178—181.

Quo ex decreto propriam indolem tolerantiae ideo diximus insigniter illustrari, quod 1. ante omnia declaratum sit, judices catholicos, in laico tribunali causas matrimoniales tractaturos, ‚in casibus particularibus ad Sedem Apostolicam recurrere debere‘ pro obtinendo tolerantiae indulto[1]); quod 2. Sancta Sedes, edita jam tolerantiae responsa authentice interpretatura, aperte edixerit ‚in ejusmodi rescripto edendo[2]), id unum se in mente habuisse, ut casui particulari pro ejus circumstantiis et exigentiis provideret‘[3]); quod proinde 3. tolerantiae decreta vere sint odiosa et stricte interpretanda; quodque 4. tandem nonnisi ex gravissimis causis edantur[4]).

Tolerantiae decretum in causa scholastica Rmi. Dni. archiepiscopi s. Pauli editum die 21. April. 1892.

50. *Historiam* hujus decreti probabilesque ejusdem rationes perdiscere poteris ex epistola Emi. Cardinalis praefecti (heic n. 54) atque ex duobus opusculis, quae se mutuo complent; nimirum 1. ex scriptura memoriali ab ipso Rmo. D. archiepiscopo Ireland oblata: ‚Questione sull' insegnamento cattolico in alcune parrocchie dell' archidiocesi di S. Paolo di Minnesota, negli Stati-Uniti d'America‘ (Roma, tip. S. C. de Prop. Fide, 1892, pag. 36); et 2. ex libello: ‚La questione scolastica degli Stati-Uniti e la decisione della Propaganda‘ (Roma, tip. sociale, 1892, pag. 36). — Quum Rmus. archiepiscopus causam e suo loco tantum intueretur, aliter fieri non potuit, quam ut ejus expositio, alio sub respectu considerata, ulterioris illustrationis capax existeret. Partes igitur a Rmo. oratore relictas auctor alterius libelli quadantenus supplevit[5]),

---

[1]) Cfr. Responsum Congregationis S. Officii episcopo Sangallensi datum d. 3. April 1878, in cit. ‚Archiv‘, t. 41, pp. 181—183. [2]) D. 24. Septemb. 1887. [3]) Responsum S. Poenitentiariae dd. 25. April 1890, ‚Archiv‘, t. 67, p. 178. [4]) Quomodo ‚praesentium temporum urgens necessitas aliquid de severitate canonum ea in causa relaxandum deposceret‘, expositum videsis in cit. ‚Archiv‘ t. 57, pp. 193 — 194 [5]) Partes relictas ideo ‚quadantenus‘ tantum esse ab altero hoc auctore suppletas dicimus, quia duas sectiones Rmi. archiepiscopi pluribus non exequitur, scilicet partem politicam de necessitate ac

quaestione accuratius ponderata, addito etiam brevi judicio de interpretione decreti a clarissimo professore Bouquillon data in ‚New York Freeman's Journal' d. 4. Junii 1892. Et licet ejus scribendi genus nobis minus placeat, quod eleganti lepore ingenuisque facetiis videatur esse justo conditius, res ipsae tamen, quae, remotis etiam ingratis jocis, residuae manent, dignae omnino sunt, quae a lectore juris sacri cupido diligenter videantur.

51. *Textus decreti.* ‚Ad dubium: Qual giudizio debba portarsi sull' accomodamento adottato dall' Arcivescovo Ireland riguardo alle due scuole di Faribault e Stillwater, in casu respondendum censuerunt: Affirmative et: Firmis in suo robore manentibus decretis conciliorum baltimorensium supra scholas parochiales, compositio inita a R. P. D. Archiepiscopo Ireland relate ad scholas de Faribault et Stillwater, perpensis omnibus circumstantiis, tolerari potest.

In audientia habita eadem die 21. Aprilis SSmus supradictam Emorum resolutionem approbare dignatus est'.

ratione ‚americanizandi' advenas, et partem polemicam contra Germanos et Patres Collegii S. J. ‚Civiltà Cattolica' directam: quod fictum litis consortium falsus interpres decreti in ‚Baltimore Sun' ad universam Societatem Jesu extendere non veretur d. 11. Maji 1892 (cfr. inferius n. 82); interea dum hostes ecclesiae eundem Rmum. Dnum. Ireland in suspicionem arctioris amicitiae cum Jesuitis adducere nituntur in folio acatholico inferius citando n. 57. Cum iis, quae ejusdem opusculi auctor habet, utiliter etiam conferri possunt, quae, praeter alios bene multos, quatuor doctores ad illustrandam quaestionem a Rmo. archiepiscopo s. Pauli propositam contulerunt, nimirum Rmus. D. Racine, episcopus Sherbrookensis, de studio americanizandi advenas, in longioribus literis ex ephemeride quebeccensi ‚La vérité' (14. Maji 1892) per Europam quoque vulgatis (cfr. Wien. ‚Vaterland' d. 7. August. 1892); Rmus. D. Messmer, episcopus Sinus viridis, de Cahenslyismo et Germanis in America, in literis ad ephemeridem ‚State Gazette' datis atque inde in folium germanicum ‚Columbia' translatis d. 7. Januar., et in aliis literis ad ‚Milwaukee Sentinel' scriptis d. 7. Januar. 1893; D. G. Wolff, *Our Parochial School System,* in ‚The American Catholic Quarterly Review', 1892, vol. 17, pp. 867—873; D. A. Onclaire, *La question scolaire aux États-Unis,* in ‚Revue catholique des institutions et du droit' 1892 (Extrait: Barbatier et Dardalet, Grenoble, 1892).

Tribus, ut vides, elementis textus responsi romani constat: 1. Firmitate roboris legum baltimorensium de scholis parochialibus, 2. tolerantia compositionis relate ad scholas de Faribault et Stillwater initae, eaque 3. perpensis omnibus circumstantiis permissa.

De his circumstantiis mox dicetur, ubi de causis decreti sermo erit n. 55. Hoc loco id tantum est agendum, ut duo priora elementa rite intelligantur.

I. Firmis in suo robore manentibus decretis conciliorum etc. De primo inciso igitur haec circa imminutionem valoris alicujus legis ad mentem n. 24 observa:

Legi ratione sui validae detrahi valor potest ex ipsius legislatoris sive ‚vera' sive ‚praesumpta' voluntate.

‚Vera' legislatoris voluntas potest esse expresse aut tacite manifestata.

Vera legislatoris voluntate ‚expresse' manifestata de valore legis praesertim quatuor modis detrahi potest: abrogatione, derogatione, dispensatione et irritatione.

‚Abrogatione' lex omnino deletur; ‚derogatione' ex parte tantum tollitur; ‚dispensatione' legis obligatio respectu certae personae, vel certi temporis relaxatur; ‚irritatione' lex inferioris magistratus a superiore aufertur.

Vera legislatoris voluntate ‚tacite' manifestata lex amittere valorem potest legitima contraria ‚consuetudine' et ‚cessatione'[1])

Ad ‚praesumptam' legislatoris voluntatem pertinet ‚epikeja' (ἐπιεικεία), quo nomine interpretatio venit non tam ipsius legis, quam mentis legislatoris: quando scilicet ab peculiaria rerum ac temporum adjuncta legem ab aequitate non mediocriter recedere credimus; tunc enim judicamus, casum istum ‚ex praesumpta mente' legislatoris sub lege non contineri, h. e., legislatorem noluisse legem suam eo in casu obligandi vim exercere[2]).

---

[1]) Lex proprie cessare dicitur, quum fine legis adaequato cessante lex ipsa, quasi subruto fundamento, per se corruit. [2]) Videantur quae de praesenti argumento disseruimus in ‚Disputat academ.' fascic. 5 pp. 76—77.

Dum igitur S. Congregatio ,firma in suo robore manere vellet decreta conciliorum baltimorensium supra scholas parochiales', authentice declaravit, de eorum valore nulla omnino ratione fuisse quidquam per novum hoc responsum detractum, nec quemquam eorundem obligatione solutum existere, proindeque illas ipsas duas scholas parochiales in Faribault et Stillwater, quibus tolerantia est indulta, decretis baltimorensibus semper obnoxias mansisse ac porro manere.

Ast, inquies, quomodo conciliari ista poterunt cum tolerantia violationis decretorum baltimorensium ipsis in responso permissa? Numquid legislator eosdem subditos eodem tempore uno actu obligare et altero obligatione solvere potest?

II. Compositio inita relate ad scholas in Faribault et Stillwater tolerari . . potest.

Qui notionem tolerantiae rite est assecutus, duo ista facile componet. Tolerantia quippe non est actio legis sive legislatoris, sed actionis negatio; consistit enim in ,actu negativo sonante in pati', qui neque relaxatio legis est neque approbatio rei permissae, verum proprie dicitur et est comparativa permissio, qua legislator gravibus de causis ,moderatione ac prudentia duce' patienter fert atque impune fieri sinit, quae legibus sunt vetita, addito jure, ne quis alius impediat[1]).

De altero hoc responsi inciso igitur sic est arbitrandum, ut, licet tolerantia eo permissa neque approbatio conventionis sit neque improbatio, id tamen operetur, ut conventio intra terminos in decreto expressos impune atque imperturbate servari possit.

Et haec quidem de ipso textu decreti[2]). De interpretatione proprio loco agetur (nn 58 sq.).

---

[1]) Inter caetera recole quae ta superius sunt n. 21 et 30.

[2]) Quumconventio a Rmo. Dno. archiepiscopo s. Pauli inita ex duplici capite impugnari posse videretur, quod nimirum et involveret violationem interdicti canonici ,de rebus ac juribus ecclesiae non alienandis (heic n. 61), censura etiam, ut multis videtur, muniti, et esset contra leges synodicas Baltimorae sancitas: mirum forte accidet, quod tanum decretorum baltimorensium mentio fiat in s. Congregationis re-

52. *De natura hujus resolutionis.* In definienda natura praesentis responsi duae quaestiones sunt distinctis rationibus solvendae; altera quidem: an resolutio haec in numero proprie dictorum tolerantiae decretorum sit habenda? altera vero: utri classi permissionum papalium sit accensenda? utrum scilicet ex genere earum concessionum sit, quae juxta regulam 74. juris in 6. ex mero favore *gratiose* sunt indultae, an vero in numero illarum concessionum veniat, quas regula juris 78. ibidem *propter necessitatem* fieri[1]) docet?

53. Et priorem quaestionem quod attinet, ex authenticis interpretationis regulis certum ac manifestum est, praesens hoc decretum veri nominis *decretum tolerantiae* proprie dictae censeri et ut tale exponi debere.

Interpretationis regula generalis in utroque jure est, *ut verba accipiantur secundum propriam significationem,* nisi manifestum sit, aliud sensisse legislatorem sive disponentem[2]). Praeter enim quam quod censeri non possint aliter legislatores esse locuti, quam alibi semper solent, h. e., verba eo sensu adhibendo, quo regulariter accipiuntur, legislator etiam expresse jubetur[3]) in edenda lege *manifestis,* h. e., claris et perspicuis verbis uti, ne ‚aliquid per obscuritatem in captione contineat'[4]). Ergo etiam in casu nostro verbum *tolerare* in sua manifesta, aperta et propria significatione sumi debet, idque eo vel magis, quod significatio juridica verbi *tolerare,* qua in omnibus legibus acceptum reperitur, fere non differat a naturali, quae excommuni usu loquendi dimanat (heic n. 11).

sponso. Verum id inde evenisse videtur, quod qui in America conventionem impugnabant, unam illam vitiositatem seu difformitatem a legibus baltimorensibus, utpote argumentum clarius atque ad intelligendum apertius, urgerent, quodque suo modo etiam hic obtineat principium juris: ‚ultra petita judex non cognoscit'. Cfr. Nostra Commentaria in Concil. baltimor. II. p. 364.

[1]) Momentum hujus distinctionis mox patebit ex dicendis n. 68—69. [2]) Ex jure civili probatur L. Non aliter 69. *Π.* lib. 31 de legatis et fideicom. III. — In decretalibus illustratur regula proposita C. Ad audient. 12. X. de decimis (III, 30). [3]) C. Erit autem 2 dist. 4. [4]) H. e., ‚ne aliquis captiose possit interpretari'. Ita gl. ad h. l.

Caeterum ipsa verba rescripti adeo distincte, perspicue ac significanter naturam genuini *decreti* verae proprieque dictae *tolerantiae* ostendunt, ut sola lectione, non interpretatione, indigeant.

54. Utrum deinde decretum nostrum de numero earum concessionum sit, quae juxta regulam 74, nulla exteriori movente causa, sed ex sola latenti propensa voluntate atque ex mero favore *gratiose* sunt factae; an vero exterioribus rerum adjunctis id *necessario* exigentibus, ad mentem regulae 78? quaestio est facti, quae indubitatam solutionem ex historia ipsius decreti habet.

Eam igitur non minus accurate quam succincte narratam accipe ex literis Emi. Card. praefecti S. Congregationis de Propaganda Fide ad episcopos statuum foederatorum d. d. 3. Maji 1892. De ratione agendi archiepiscopi S. Pauli in memoratis duobus casibus, inquit Emus Card. praefectus, ‚acriter hinc inde contentio exarsit, etiam per publicas ephemerides, quod valde dolendum, ardenter quaestio ventilata fuit, nec concors et unanime episcoporum judicium hac de re extitit. Quod quum religionis bono, ecclesiae decori et optatissimae aeque ac necessariae inter sacrorum antistites concordiae, in qua pax gregum ipsis commissorum solidatur, quam plurimum obesse juste timeri posset: Sancta Sedes opportunum duxit, rem ad se avocare dijudicandam suaque sententia disputationibus finem imponere. Hujus autem negotii examen quibusdam ex Emis. PP. s. consilio christiano nomini propagando praepositis demandatum fuit, qui in comitiis habitis die 21. Aprilis hujus anni, matura ac diligenti investigatione instituta, ea quae ab archiepiscopo s. Pauli peracta sunt, omni sub respectu perpendentes, attentis peculiaribus adjunctis nec non modo et pactis, quibus conventio inita fuit, sequens edendum censuerunt decretum, eadem die a Summo Pontifice adprobatum: Firmis . . *tolerari potest*‘.

Si quid unquam exigente aliqua gravi necessitate fuit ad mentem regulae juris 77 decretum, in casu hoc nostro id certo accidisse evidentia facti ostendit.

55. *De causis decreti.* Causae, quibus permota Sedes Apostolica tolerantiam ‚in casu' concessit, in decreto non indicantur; ideoque ‚arbitrarium', h. e., liberum interpreti relinquitur, eas ex consideratis actis atque ex ‚perpensis adjunctis' eruere, non quidem authentica ac decretoria definitione, sed aliis quoque eadem investigationis libertate concessa: juxta dictum finale magistri: ‚Aliae rationes forte super hoc reddi possent, quas per teipsum, tu studiose, adinvenire curabis'[1]).

Neque sane est, quod pro certo dicere audeam, rationes decreti in ipsa scriptura memoriali contentas esse, quam Rmus. orator Emo. cardinali praefecto obtulerat[2]), ut controversiam exponeret ejusque definitionem, praecipuis rationum momentis adductis, praepararet. Licet enim casu, quo sacrae Congregationes quaestiones ‚ad formam petitionis' oblatae solvant, ex ejusmodi praeviis scripturis ad veras decretorum rationes indagandas aditus detur atque utilia nunquam non depromantur argumenta ad genuinam mentem sacrarum Congregationum determinandam: id tamen in hoc responsum non quadrat, quum s. Congregatio quaestiones propositas ‚in forma petitionis' non admiserit examinandas.

Rmus. orator libello rite oblato duplex hoc ‚petitum causae' subnexuerat p. 27:

I) Prego quindi l'Eminenza Vostra Rma. di liberarmi una volta per sempre dai miei nemici, di vendicare la mia condotta, e di dissipare le apprensioni, o forse anche le rappresaglie del popolo americano, particolarmente in questi tempi, quando la politica del Nostro Santo Padre è di seguire una politica di riconciliazione collo spirito del repubblicanismo.

II) Prego pure una risposta alla questione seguente: In vista del fatto che, causa la provertà del nostro popolo, le provvisioni del Concilio di Baltimora riguardo

[1]) Ita gl. ad C. Quia in futurorum. un. de torneament. Extrav. Joann. XXII. v. ‚ex causis rationabilibus'. [2]) ‚Questione sull' insegnamento cattolico'.

alle scuole parrocchiali, non possono, pel momento, essere eseguite in diverse parti degli Stati - Uniti, *quale piano d'azione può, nel frattempo, adoperare un vescovo, per procurare l'istruzione a quei fanciulli, i quali non possono, in conseguenza, e al momento attuale, essere provvisti di scuole parrocchiali, e alla di cui condizione non è stato provvisto da quel Concilio?'*

Loco amplissimi hujus bimembris petiti causae, Sacra Congregatio, praevia emendatione petitionis facta, particularem atque restrictivis conceptam terminis quaestionem sibi solvendam sumpsit, scilicet: ,Qual giudizio debba portarsi sull' accomodamento adottato dall' arcivescovo Ireland riguardo alle due scuole di Faribault e Stillwater?' Unde hic non valet canonica interpretationis regula, quod ,rationes alicujus rescripti sive decreti debeamus *ad formam petitionis*, in libello adhibitam interpretari.

56. Verum quamvis rationes a Rmo. Archiepiscopo alii causae finiendae essent destinatae, nihilominus non sine veri specie conjici potest, s. Congregationem in solvendo particulari dubio a se reformato respectum aliquem in rationes scripturae memorialis habuisse.

Ex iis unam vulgavit ephemeris ,New York Freeman's Journal', die 3. Sept. 1892, desumptam ex scripturae memorialis pag. 33[1]), quam qui urgent speciem *ἐναντιοφανείας* inter hunc textum et epistolam Summi Pontificis ad episcopos provinciae neo-eboracensis d. d. 23. Maji a. 1892 tollere nituntur adhibita Clementina Literis un. de probat. (II. 6) jcta. gl.

57. Alia ratio praesentis decreti etiam inde peti posse videtur, quod S. Congregatio de Propagande Fide intolerabili illi abusui tempestive occurrere voluerit, quem hostes ecclesiae Christi ex acri studio americanizationis a Rmo. Archiepiscopo alte proclamato[2]), non sine obscu-

[1]) Ex literis Emi. card Gibbons ad Summum Pontificem d. d. 1. Martii 1892 atque in appendice scripturae exhibitis pp. 29 — 33.
[2]) Cfr. Questione, p. 10.

ratione ejus nominis, facturi praevidebantur[1]). In antecessum quippe Illmus. praesul de ecclesia optime meritus erat vindicandus a criminationibus inimicorum veritatis catholicae, de rebus ab eo praeclare gestis insigniter detracturis. Obtento tolerantiae decreto Rmus. Ireland revera voti compos factus est, atque ab inimicis ecclesiae, ejus laudibus obtrectaturis, liberatus existit[2]).

Sed et ‚aliae rationes forte super hoc reddi possent, quas per teipsum, tu studiose, adinvenire curabis'.

58. *De interpretatione decreti.* Qui magno numero decretum jam commentati sunt doctores, in varia eaque diversa abierunt.

Ex ignoratione significationis terminorum atque ex studio partium factum esse videtur, ut in explicatione danda alii peccarent *per excessum*, tolerantiam pro approbatione ac commendatione sumendo[3]); alii contra *per defectum*, in nuda tolerantia improbationem et vituperationem agnoscendo[4]).

Ex interpretibus hucusque pauci erant, qui ex genuinis juris principiis, naturali juridicaeque verbi significationi inhaerendo ac ‚vera rebus vocabula restituendo'[5]), decretalem hanc tolerantiam ad canones exigerent eamque in negativo illo actu, sonante in pati collocarent, in quo ejus naturam consistere supra docuimus.

59. Juxta certa autem haec juris principia tolerantiae decretum seu comparativa permissio non est positiva

[1]) Videsis inter alia folium acatholicum ‚Deutscher Merkur', 10. Sept. 1892. [2]) Ea ex parte bono sensui recipiendo idonea est petitio Rmi. oratoris: ‚Prego di liberarmi una volta per sempre dai miei nemici'. [3]) In his eminet scriptor ephemeridis americanae ‚Baltimore Sun', qui adeo omnem modum legitimae interpretationis excessit, ut scribere non dubitaret, formulam ‚tolerari potest' in praesenti decreto ‚canonice' sumi pro ‚pleno permissu', pro ‚plena et formali approbatione' (d. 11. Maji 1892). Quam interpretationem vere intolerabilem ab innumeris aliis ephemeridibus fuisse caeca fide exscriptam, satis norunt eruditi omnes. [4]) Eam interpretationem vel in ipsa urbe Roma, ex fonte parisiensi, testatur ‚Le moniteur de Rome', animadversione facta, non defuisse, qui in decreto viderent, ‚une sorte de condescendance plus voisine du blâme que de l'approbation' (d. 11. Junii 1892). [5]) Pius PP. IX. in Alloc. d. 18. Martii 1861.

actio legis sive confirmantis sive improbantis (n. 24), sed vero actionis negatio, quae tamen impunitatem praestat et jus, ne quis alius impediat.

Praesenti igitur responso Sedes Apostolica, omnibus circumstantiis perpensis, comparativa permissione, ex una parte fieri sinit, ut compositio circa duas scholas parochiales in Faribault et Stillwater inita impune servetur, licet a lege generali deflectat; ex altera autem parte prohibet, ne quis ejus observationi intra terminos in decreto expressos impedimentum ponat, ‚indiscretis impugnationibus fine imposito'[1]).

Judicium de vi ac pondere duorum terminorum ipsius comparativae permissionis, quae, ut in omni alia tolerantia, ita et in hac nostra inest, a numero ac gravitate causarum pendet; quibus ducta S. Congregatio tolerantiam praedictae compositionis in casu decrevit.

60. Sed quae demum cunque eae causae sint, duo haec corollarii ritu inferri debent:

a. (circa naturam decreti) praesens responsum verum esse decretum proprie dictae tolerantiae, non gratiose, sed propter exteriora rerum adjuncta editum[2]);

b. (circa ejus interpretationem) eidem exponendo accommodandas esse restrictivas illas interpretationis regulas, quas jura inviolabiliter servandas esse praescribunt ad genuinum sensum legis odiosae rite deprehendendum.

Prius corollarium quod spectat, non est quod hic nova proferantur, quum de rationibus propriis tolerantiae deque indole decreti ejusdem adeo fuse jam dixerimus, ut imo metuendum sit, ne eruditus lector nimium putet.

61. De altero corollario, quod est de interpretationis methodo, animadverti sedulo debet, idem hoc decretum ex duplici capite esse odiosum, ex materia scilicet, et ex forma; indeque maxime ad restrictivas regulas esse ex-

---

[1]) De vi propria hujus formulae plura accipies infra nn. 75—76. [2]) Recole quae superius animadversa sunt nn. 52—54, ac vide etiam inferius dicenda n. 69.

igendum. *Materia* quippe ad ‚alienationem rerum ecclesiae‘ pertinet, quae multis titulis juris canonici severe est vetita.

Quod ut rite intelligatur, tria haec sunt ex jure sacro attendenda:

a. Inter caeteras ‚res ecclesiasticas‘, quae interdicto ‚de non alienando‘ subjacent, non ultimo loco veniunt scholae parochiales, seminaria ac similia loca pia educandae juventuti addicta.

b. Quaecunque *cessio juris* in ejusmodi res ecclesiasticas, et pacta quaevis, libertati ecclesiae in instituto pio administrando aliquid detrimenti inferentia, sub nomine ‚alienationis‘ comprehenduntur.

c. Omnis permissio circa talem alienationem sive faciendam sive servandam legibus odiosis accensetur, quum interdictum ‚de rebus ecclesiae non alienandis‘, utpote in favorem causae piae latum, legibus maxime favorabilibus accenseatur[1]).

62. Est ergo responsum romanum, quod ad ‚alienationem rerum ecclesiasticarum‘ refertur, ex *materia* sua odiosum, etiamsi datum fuisset per actum positivum, qui aliquid favoris continere potuisset.

Sed crescit odium ex *forma*, qua Sacrae Congregationi respondere placuit; dubium enim propositum non per actum positivum, sed vero per negativum, sonantem in pati, solvit, edito scilicet tolerantiae decreto, quod ex natura sua semper odiosum est, quum necessario circa rem versetur, quae a jure communi deflectat: quemadmodum etiam in casu nostro circa compositionem de duabus scholis parochialibus in Faribault et in Stillwater expresse fuit a Summo Pontifice declaratum in epist. d. ad episcopos provinciae neo-eboracensis d. 28. Maji 1892.

Unde patet, praesens hoc tolerantiae decretum revera esse ex duplici titulo legem odiosam proindeque talem, quae adhibitis canonicis interpretationis regulis maxime restrictivis explicari debeat. Eas hic paucis declaratas accipe.

---

[1]) Confersis quae ea de re latius scripta sunt in nostris Commentariis in Conc. plenar. baltimor. tert. parte 1, pp. 190—193.

III.

Regulae interpretationis in declarandis tolerantiae decretis servandae.

Animadversiones praeviae.

Animadv. 1. *De distinctione inter favorem et odium, inter leges favorabiles et odiosas.*

63. In utroque jure odium opponitur favori. Est autem *favor* non accipiendus, ut vulgo putant, pro vago aliquo atque proclivi hominis affectu, quo alios prosequitur, qui saepe solet errare in delectu honesti, ut quum indigni ex favore promoventur[1]); sed ea appellatione intelligi debet utilitas quaedam adeo conjuncta justitiae, ut favor nihil alius censeri possit, quam ipsum jus commodum afferens[2]). Et ita *lex favorabilis*, voce active sumpta[3]), est, quae favorem praebet seu quae utilitatem sive commodum alicujus tuetur.

Odium contra significat taedium, molestiam, incommodum, praejudicium, et generatim ea omnia comprehendit, quae materiam fastidii utcunque praestant, cujusmodi sunt, quae poenam vel dispendium alicujus continent[4]).

Lex odiosa appellatur, quae dure est constituta, utpote quae cum molestia incommodum aut damnum habet conjunctum.

Animadv. 2. *De odio, quod in omni tolerantiae decreto necessario inest.*

64. Juxta communem omnium doctorum sententiam rebus odiosis accensentur, non solum quae ad alienatio-

---

[1]) Cfr. C. Porro dist. 63; C. Pueri C. 1. q. 1; C. Sunt quidam iisdem C. et q. [2]) Inde intelligitur axioma quod ‚favori quisque suo renuntiare possit‘. L. Si quis in conscribendo Cod. de episcop. et cleric. [3]) Nomine adjectivo passive spectato, favorabile dicitur, quod favorem habet, quod favore plenum apud omnes est. Hinc *causae favorabiles* quae in jure occurrunt. [4]) Cfr. Barbosa, *Axiom.* 166, n. 4.

nem rerum ecclesiasticarum pertinent, verum etiam quae a jure communi utcunque exorbitant, h. e., ab orbita seu via legis universalis deflectunt.

Ratio vero hujus doctrinae inde est repetenda, quia hoc ipso, quod jus commune, propter utilitatem publicam conditum et universae societati tanquam medium necessarium ad finem consequendum praescriptum, sit summe favorabile: quidquid eidem adversum evenit aut contrarium admittitur, habita ratione boni communis, necessario nocivum atque odiosum reputari debet.

65. Jam vero de essentia tolerantiae esse vidimus, ut versetur circa rem a jure exorbitantem, h. e., circa ,singulare aliquod nec opinatum[1]) factum, quod nonnihil a verbo legis recedit': quemadmodum tolerantiae objectum verbis magis perspicuis, omnium intelligentiae accommodate, describit SS. D. N. Leo PP. XIII. in laudata epistola diei 23. Maji 1892[2]).

Est ergo decretum tolerantiae in se ipso consideratum lex odiosa, et ut talis explicanda atque observanda.

Quodsi praeterea ex objecto suo odium contraxerit, ut in responso ad Rmum D. archiepiscopum s. Pauli revera factum est, decretum ex duplici titulo dici debet lex odiosa eoque nomine ad interpretationis regulas maxime restrictivas exigenda.

Quibus rite praestitutis, jam selecta quaedam juris capita accipe, quae in interpretanda materia odiosa regulis restrictivis deferri jubent. Satis autem fuerit, ex celeberrimis 88 canonibus, quos Bonifacius PP. VIII sub generali titulo ,de regulis juris' proponit (V, 13) et ,quorum ignorantia' notante glossa ,nullo modo excusabilis est', illos quatuor exhibuisse, qui positi sunt sub nn. 15, 28, 74 et 78.

---

[1]) ,Nec opinatum', seu inopinatum est, quod quum legislator ipse non existimasset futurum, postea, praeter opinionem, improvisum accidit. [2]) ,Der Begriff der Duldung setzt immer eine allgemein geltende Norm voraus, und ist Duldung (von dieser allgemeinen Norm) abweichender Ueberzeugungen und Uebungen'. Ita Rotteck l. c.

Ex iis canon 15. duplici ex causa interpretando decreto tolerantiae in causa scholastica archidioecesis s. Pauli edito accommodari debet, quia lex dupliciter odiosa esse noscitur, ex objecto, ad quod refertur, et ex forma, qua prodiit. Reliqui tres canones eam odii speciem tantum respiciunt, quam ,exorbitantia a jure communi parit'.

66. Regula 15. *Odia restringi et favores convenit ampliari.*

Sensus regulae est: Leges (canones, statuta, rescripta, decreta, dispositiones) odiosae, h. e., illae quae vel a jure communi recedunt, vel jura ecclesiae minuunt, vel principaliter in odium et poenam tendunt, stricte sunt interpretandae, ac propterea neque ultra casus in iisdem positos neque ad personas nominatim non expressas extendi possunt, utut identitas rationis extensionem suadere videantur[1]; favorabiles contra late explicari debent.

67. Regula 28. *Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.*

Praesens regula juxta proprium suum sensum ita est intelligenda: Quaecunque a jure communi exorbitant, h. e., legales aliaeque dispositiones (rescripta, statuta, decreta, responsa, dispensationes, privilegia, consuetudines), quae alicui articulo juris communis ex parte vel ex toto adversantur, ad consequentiam sive ad alios casus et personas non expressas non sunt trahendae seu extendendae, quantumvis in alio simili casu vel in alia persona eadem vel etiam major ratio esse videatur, quae etiam sit in dispositione expressa[2]). Exemplum habes in privilegio principi concesso aliqua in urbe nominandi praelatum; is enim vi hujus indulti a lege generali exorbitantis alio in loco territorii sui praelatum nominare non valet, etiamsi ibidem eadem sit ratio atque in urbe, quae in privilegio legitur expressa. ,In talibus enim non arguimus de similibus ad similia', ut gl. ad l. c. expresse animadvertit.

[1]) Cfr. Barbosa, *Axiom.* 167, n. 6. [2]) Cfr. Barbosa, l. c.

68. Regula 74. *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.*

Sensus regulae est: Quod alicui ex speciali favore et gratia a supremo principe contra vel ultra jus conceditur, ab aliis trahi non debet in exemplum vel consequentiam: ita ut existiment, id sibi quoque in simili casu et existente eadem ratione licitum. Illustre ejus rei exemplum exhibetur C. Petiisti 17 C. 7. q. 1, ubi s. Zacharias Papa ex speciali gratia sancto Bonifacio, Germanorum Apostolo, concessit, ut sibi ipsi posset designare successorem, expressa tamen animadversione ad mentem praesentis regulae adjecta: ‚Hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi, caritate cogente, largiri censuimus‘.

69. Regula 78. *In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.*

Praesens regula specialiter de eo loquitur, quod ob necessitatem, h. e., exigentibus exterioribus rerum, locorum personarumque adjunctis conceditur; dum praecedens circa id versatur, quod ex favore et gratia indulgetur; ideo ‚regula haec non superfluit per illas, quae loquuntur de eo, quod conceditur ob favorem vel gratiam‘: quemadmodum animadvertit gl. ad h. l.

Sensus autem regulae est ejusmodi: Id quod intuitu urgentis alicujus gravis necessitatis subinde conceditur aut permittitur, ab aliis sumi non debet pro argumento, quasi et illis in hujusmodi casu permissum aut concessum esset‘.

‚Ratio regulae est, inquit Reiffenstuel, ad h. l., quia, quum hujusmodi concessiones a jure communi exorbitent, in consequentiam non sunt trahendae, juxta superiores regulas allatas; imo, non tantum non trahendae in exemplum, sed in ipso etiam, cui factae sunt, cessare debent, necessitate tanquam causa concessionis cessante: C. Quod pro 41. C. 1. q. 1: ibi: „Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet utique cessare“. Quod idem repetitur C. Quod idem pro remedio 7. C. 1, q. 7. Et merito, ‚quum cessante causa cesset effectus: C. Quum cessante 60. de appellat‘.

Atque istae sunt praecipuae interpretationis regulae, quae ex praescripto sacrorum canonum tolerantiae decreto legitime explicando accommodari debent.

Quodsi vero quaeratur, cur Sedes Apostolica regulas solito plures ac clariores ad genuinum ejusmodi odiosi decreti sensum rite deprehendendum in corpore juris canonici proposuerit: id inde venisse putandum est, quod in omni disciplina canonica vix alia materia reperiri possit, quae adeo plena periculo perturbationis sit, quam extensiva odiosi decreti interpretatio[1]) indeque fluens ‚excessus' canonicus.

70. Et id quidem Sedes Apostolica non obscure adsignificavit, dum doctrinam de praecipua decretorum odiosorum classe non aliter in corpore juris sacri proponi tractarique siverit, quam ut simul de remedio perniciosorum excessuum, per abusum decretorum committi solitorum, caute provideret, ipso textu respondentis tituli (V, 33) talibus verbis concepto:

‚De privilegiis et excessibus privilegiatorum'.

Quae ibidem ex mente authenticarum interpretationis regularum prudenti cum circumspectione adhibentur cautiones contra ‚excessus' per privilegiorum abusum, h. e., ‚per extensionem ultra fines statutos'[2]) ‚frequenter' commissos[3]): ea etiam valent de extensiva decreti tolerantiae interpretatione, per quam licentia, decreto facta, ‚ad consequentiam traheretur'.

---

[1]) Ad hunc locum utiliter referentur, quae de eodem decretorum genere disputat A. Tanner, *Theol. schol.* t. 3, disp. 1. q. 9. [2]) Hoc titulo mira formularum varietate ‚excessum' committere dicuntur previlegiarii, ut ecce, quum ‚privilegia sua excedendo quid contra jus commune praesumunt' (c. 3); quum ‚privilegiorum fines excedunt' (c. 20); quum ‚privilegiorum metas transgrediuntur' (c. 7); quum ‚privilegiorum limites excedunt' (c. 1 in 6); quum ‚contra privilegiorum tenorem venire praesumunt' (c. 3). [3]) Quomodo ecclesia identidem se coactam viderit, eos, qui limites factae sibi permissionis ‚frequenter excedebant' eorumque complices ‚metu poenae' (C. Hac constitutione. de offic. et pot. del. in 6.), insigniori exemplo proposito multis exequitur Phillips, *Kirchenrecht.* t. 6, § 346 (pp. 797—803).

71. Licet enim duae illae permissiones, privilegium contra jus commune[1]) et decretum tolerantiae, essentia differant[2]), in effectu tamen evidenter conveniunt, tum quoad subjectum passivum, cui facultas fit, licentia permissa intra expressos fines utendi, tum quoad alios, qui negativa obligatione prohibentur, legitima licentiae usui ‚indiscretum' impedimentum ponere[3]).

Eadem ratione igitur canonici ‚excessus' habeberis reus, sive metas privilegii transgressus fueris, sive tolerantiae decreti fines migraveris. Eodem sacro disciplinae zelo in utroque casu ad terminos permissionis ab iis revocaberis, quibus officium recti ordinis tuendi ex jure incumbit.

72. Atque hinc est, cur supremus ecclesiae magistratus, et qui sub eo canonum custodes constituti sunt, episcopi in suis dioecesibus, necessario fictam aliquam concessionem, per extensivam interpretationem decreto contra regulas falso illatam, vi muneris sui tanquam apertam juris violationem improbare et rejicere debeant.

Quodsi non praestiterint, teste jure sacro, falsorum interpretum culpa, facile fiet, ut Sancta Sedes, quae edito aliquo prudentissimo tolerantiae decreto sincere studuit, ‚indiscretis impugnationibus finem imponere'[4]), propter decretum ultra terminos expressos extensum, adeo non consequatur quod lata sententia obtinere sancte cupiverat, ut immo ‚pro ea, quam intendebat, quiete turbatio nascatur, pro concordia suboriantur dissidia, et pullulare inquietudines pro tranquillitate noscantur'[5]), sicque dum ansam solvere vellet, nodum ligasse videatur[6]).

---

[1]) De sola hac privilegiorum specie hic agimus. [2]) Privilegium, prout hoc loco stricte sumitur, in permanenti concessione exemptionis a jure communi consistit; dum decretum tolerantiae contra non eximit a lege, quemadmodum semel atque iteram diximus nn. 25, 51. [3]) Effectum hunc fusius declaratum relegas supra n. 30. [4]) Cfr. epist. Emi. Card. Ledóchowski ad Rmum. archiepisc. Ireland d. d. 30. April 1892. [5]) C. Inter cunctas 1. de privileg. Extrav. com. [6]) C. Quum olim 24. X. de verb. signif. (V, 40), et C. Inter cunctas cit.

De executione decreti tolerantiae ab indiscretis impugnationibus prohibita ac tuta.

73. Decretum tolerantiae ad canonicas istas restrictivas interpretationis regulas rite exactum controversiam cum effectu dirimit, et ‚indiscretis impugnationem finem imponit': qui finis est, quo referri licentiam factam oportet.

Interpretatio atque applicatio decreti eadem ferme ratione se habent ad ipsum decretum, sicut in processu forensi res judicata refertur ad sententiam[1]).

Sententia quippe respectu rei judicatae se habet per modum causae agentis, decidentis; res judicata vero per modum patientis, effectus, facti. Ubi sententia judicis in rem judicatam transiit, lis tandem finem accepit. Ita decretum rite declaratum et legitime applicatum controversiam demum tollit: permissione ad actum perducta.

Decretum tolerantiae litem veluti in actu primo sedat; licet enim comparativa illa permissio, qua decretum continetur, ‚proprie non sit actio legis', sed tantum actionis negatio, alios tamen obligat, ne intra terminos in decreto permissos *et expressos*, per ‚indiscretas impugnationes', impedimentum ponant[2]).

Verum non ideo jam controversia ipsa est e medio sublata. Etenim ex defectu justae interpretationis rectaeque applicationis, praecipue in re odiosa, identidem factum in jure videmus, ut ‚lex aliqua nedum pacis ab auctore ipsius speratae fructum non attulerit, quinimmo discordiae, pro qua sedanda processerat, fomentum non modicum ministraverit'[3]).

Unde lis, quae per editionem decreti tolerantiae in actu primo tantum fuerat sedata, nonnisi accedente recta interpretatione subsecutaque legitima observantia

---

[1]) Decretal. X, l. 2. tit. 27. [2]) Cfr. quae de effectu hujus permissionis, post Hug. Grotium *De jure belli et pacis,* l. 1, c. 1, §§ 9 et 17, scribit Jac. Zallinger, *Instit. juris nat.*, l. 3, c. 10, 257 et recolantur etiam quae ipsi animadvertimus supra n. 30. [3]) C Dudum 2. de sepultur. Clem. (III, 7).

in actu secundo demum reapse ablata conspicitur. Et ita decretum tandem exitum suum habet. Tanti momenti est, veram justamque decreti applicationem, ope canonicarum interpretationis regularum, curare ac tueri!

74. Quidquid ad veram hanc justamque decreti applicationem sive executionem impediendam tentatur, id ,indiscretis illis impugnationibus accensetur, quibus legislator edito decreto finem imponere' studuit.

Et quoniam sermo noster huc recidit, videndum speciatim est

De indiscretis impugnationibus,

in quibus auferendis Emus. Cardinalis s. Congregationis praefectus vim omnem atque effectum decreti tolerantiae merito collocavit[1]).

,Vigilanti' verbo in re juridica usus est Emus Princeps, quum de ,indiscretis' impugnationibus per decretum tolerantiae finiendis loqueretur. Nostrum est, genuinum ejus verbi sensum ex jure sacro, in quo saepe occurrit, breviter determinare.

75. In sacris autem canonibus adjectivum ,indiscretus' dupliciter sumitur, absolute, h. e., simpliciter atque in se, et comparate, h. e., conjuncte cum aliis: idque sive de persona sive de re dicatur.

,Indiscretum', simpliciter acceptum, vocatur, quod sine discrimine, sine consideratione, sine delectu, sine judicio, sine causa juridica fit: adeoque inconsideratum, incautum, temerarium, injustum est.

,Indiscretum', comparate sumptum, adsignificat plura alia simul proposita, quae cum necessaria consideratione, discrete et electe, fieri poterant; ex quibus tamen propter

---

[1]) En tibi egregiae illius epistolae integrum incisum, quod huc pertinet: ,Confido, Amplitudinem Tuam hoc Sanctae Sedis judicium grato animo excepturam; si enim provisiones extraordinariae a singulis episcopis in propriis dioecesibus, circumstantiis id exigentibus, factae, quando a generali lege aliqua ex parte deflectunt, probari directe a S. Sede nequeant, tamen quum Eadem tolerari illas posse declarat, indiscretis impugnationibus finem imponit'.

defectum judicii, illud est improvide electum, quod ‚indiscretum' appellatur. Sic ‚indiscreta' est magistri doctrina, si ex considerationis defectu tacenda proferat aut proferenda reticescat[1]), et ‚indiscretus' vocatur sermo praedicatoris, qui non est capacitati auditorum accommodatus[2]); similiter ‚indiscreta' dicitur poenitentia, quam confessarius inconsiderate ligando et solvendo imponit[3]). Et ita generatim loquendo, quod in quocunque rerum genere ex pluribus simul propositis ‚inconsiderate praeacceptum' est, ‚indiscretum' habetur, quum canonibus plus semel monentibus ‚discretio mater sit omnium virtutum'[4]).

Comparate igitur sumpta ‚indiscreta' impugnatio opponitur ‚discretae', h. e., justae, licitae, aliquando et necessariae.

Per ‚indiscretam' impugnationem legitimus decreti usus turbatur atque impeditur; per ‚discretam' contra illegitima applicatio decreti ultra terminos concessos extensi ad definitas permissionis metas revocatur.

76. Quibus e jure sacro enotatis, patet jam sine erroris periculo sensum ‚indiscretarum impugnationum', quibus per tolerantiae decretum finis imponatur', definiri posse.

Si adjectivum absolute, h. e., non comparate cum discretis impugnationibus accipiatur, tunc omnes omnino impugnationes contra casus in ipso decreto expressos e medio sublatae sunt. Is enim respectu aliorum est proprius decreti tolerantiae effectus, ut obligentur, ne intra terminos expressos impedimentum ponant usui rei toleratae. Et decreto sic accepto: Roma locuta, causa finita.

Quam decreti vim prae caeteris eminenter describit Rmus. D. Ireland, ita ad Emum. Card. Ledóchowski

---

[1]) C. Sit rector 1. dist. 43. [2]) C Oportet eum 12. C. 8. q. 1. jcta. margar. v. discretio [3]) C. Si is qui 28 C. 23. q. 4; et C. Quem poenitet 88, dist. 1. de poenitent. jcta. margar. v. discretio. [4]) C. Praesentium 3. ult. C. 1, q. 5 et C. Custos ecclesiae 1. X. de. officio custodis (I, 37).

inalem s. Congregationis praefectum scribens d. 18. Maji 1892: Grâce à la décision du Saint-Siège, la controverse, qui s'était soulevée parmi nous sur la question scolaire, est terminée. Rome parle, tous sont satisfaits. Les malentendus se sont dissipés; les irritations se sont calmées. Tous reconnaissent que Rome sait toujours se placer à une hauteur sublime, au-dessus de toute jalousie locale, et juger selon les règles de la justice et de la sagesse. Nos controverses nous rapprochent de plus près du centre de l'unité catholique chrétienne et nous en font apercevoir plus clairement le bienfait'[1]).

Et ita quidem, si adjectivum ,indiscretus', absolute sumptum, juxta interpretationis regulas a Sede apostolica in corpore juris canonici praescriptas accipiatur ac de impugnationibus contra casus permissos et in decreto expressos intelligatur.

De discretis impugnationibus.

77. Quodsi contra adjectivum ,indiscretus' conjuncte ponatur, h. e., comparate cum aliis impugnationibus, quae contra ,excessum' (in interpretatione et usu ejusmodi decretorum, ad mentem tituli ,de privilegiis et excessibus privilegiat commissum) discrete et ex causa juridica fiunt: tunc adjectivum ,indiscretus' de ejusmodi impugnationibus dici non potest, quum eae nec ,indiscretae' sint nec a jure exclusae. Et ita v. g. impugnatio extensionis decreti tolerantiae ultra expressos ejus terminos, nimirum a casibus in decreto speciatim nominatis ad alios casus similes, adeo non est ,indiscreta', ut immo ab iis, qui vi muneris sui jus commune tuentur, omnino contra abusum seu excessum institui atque urgeri debeat, quum extensio ista, contra papales interpretationis regulas facta, manifestam violationem juris communis constituat.

Atque hinc est, cur Emum. Cardinalem Ledóchowski prudenter ,vigilanti' verbo usum esse dixerimus, dum sermonem impugnationibus tollendis ita accommodaret, ut,

---

[1]) Cfr. ,Le moniteur de Rome', d. 11. Junii 1892.

adjectivo ,indiscretus' adhibito, indiscretas perimendo, discretas, sicubi ex mente sacrorum canonum necessariae forent, non excluderet[1]).

78. Vigilanti illo termino, distinctionem inter discretas et indiscretas impugnationes adsignificante, opus non fuisset, si s. Congregatio conventionem a Rmo. archiepiscopo s. Pauli initam legitime, h. e., in forma speciali approbasset. Ea quippe est ratio ac vis legitimae approbationis, qua actus ,a jure communi deflectens' a Sede apostolica in forma speciali confirmatur, ut per eam partibus ita ,os claudi' censeatur, ut de valore actus sic probati disceptari non possit, nisi in antecessum ea de re fuerit a Summo Pontifice impetrata facultas, quam proprio nomine ,aperitionem oris' appellant[2]).

79. Sed quomodo, quaeres, provisio archiepiscopi adeo praegnanti clausula muniri posset, si eam, teste Emo. Cardinali praefecto, ,Sedes Apostolica directe probare nequeat'?

Cui quaesito ut rite satisfiat, duo sunt breviter observanda, alterum scilicet de significatione verbi ,posse', alterum de propria indole canonica ,provisionis circa alienationem rerum ecclesiasticarum'.

Et primum quod spectat, duplex sensus distinguendus est verbi ,posse'[3]); simul enim denotat legitimam facultatem ac vim necessariam aliquid faciendi, et rei faciendae honestatem atque opportunitatem[4]).

---

[1]) Ex multis juris textibus, qui de ,discretis' istis impugnationibus ,excessuum' legitime faciendis agunt, videatur C. Ut privilegia 24. X. de privil., ubi Innocentius PP. III earundem necessitatem ostendit, quando permissiones romanae ecclesiae ,minus sane intellectae ad abusum pertrahuntur'; sunt enim ,sano intellectu referendae' ad casus concessos. [2]) Cuncta haec, quae pertinent ad confirmationem papalem actuum sive cum generali lege convenientium sive ab ea utcunque deflectentium, copiose declarata videantur in cit. nostris ,Commentar. in conc. plen. baltim.' part. 1, pp. 36—45. [3]) De ,variis modis possendi', ut Innocentius PP. IV. loquitur in commentar. ad C. Accedens 11. X. de concess. praebend., multis agunt canones glossati, in margarita decreti indicati s. v. ,Posse'. Ipse Innocentius autem docet, id demum quemque videri posse, ,quod recte, de jure, honeste et commode' potest. [4]) Sub hac ratione posse facere

Unde fieri, non posse' dicitur et id, quod si fiat, ex defectu legitimae facultatis ac virium invalidum sit, et id, quod licet validum, tamen illicitum sit ex defectu honestatis[1]).

Hinc provisiones ab episcopis factae, ,quae a generali lege deflectunt' atque inde odiosae sunt, respectu habito honestatis et recti potestatis usu verissime dicuntur ,probari a Sede Apostolica non posse', quum ut probentur, nulla in praesentiarum subest rationabilis causa.

80. Id autem eo magis in provisiones circa alienationem bonorum ac jurium ecclesiasticorum cadit, quod earundem confirmatio nominatim vetita sit, nisi primum ,de utilitate legitime constiterit': quemadmodum ex multis decretis sacrarum congregationum apud Trombetta, *Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos'*, c. 5, evidenter apparet[2]).

Jam vero quum praescriptus iste ,de utilitate' processus praevie non fuisset institutus, Emus. Cardinalis Ledóchowski conventionem a Rmo. Dno. Ireland initam ideo etiam meritissime ac jure provisionibus episcoporum accensuit, quae ,directe probari a Sede Apostolica nequeant': non quidem ob potestatis viriumque inopiam, sed vero ob defectum probatae causae, quae id fieri suadeat.

81. Quin et alia ratio fuisse videtur, cur Emus. Card. praefectus s. Congregationis sapientissime animadverteret, ejusmodi provisiones episcoporum ,a generali lege aliqua ex parte deflectentes probari directe a S. Sede non posse' (verbo rite accepto); quia in casu proposito ambae illae leges generales, a quibus provisio Rmi. archi-

non putamur, quae facta laedunt bonum commune, pietatem, existimationem, verecundiam nostram et quae contra bonos mores sunt.

[1]) Huc pertinet, quae hodieque toto orbe celebratur, gravissima ἀπόφασις Pii PP. IX. ,NON POSSUMUS', quum postulatum ab ipso fuisset, quod jure, quod honeste, quod salva dignitate concedere se posse non credidit. [2]) Delegatis Sedis Apostolicae id communitur injunctum esse legimus, ut ,contractus alienationis, quatenus eos fuisse et esse utiles ecclesiae comperissent, confirmarent, secus revocarent'. Trombetta, l. c. n. 2.

episcopi s. Pauli facta deflectit, non sunt leges disciplinares seu mere ecclesiasticae, sed vero tales, quae in divino et naturali jure censeri debeant firmiter fundatae. Qua de re si quis plura videre cupiat, consulere poterit, quae circa utramque legem alibi jam scripta a nobis sunt; de priori quidem seu de fundamento interdicti alienationis sive cessionis juris acquisiti: in ‚Commentar, in concil. balt.' cit. parte 1 pp. 190—191; de altera vere seu de jure divino et naturali, quo leges baltimorenses de ipsa juventutis educatione nituntur: in Commentario ‚De vocatione ad statum ecclestic.' pp. 97—100.

Ac de regulis interpretationis dixisse abunde sit!

82. Verum ut momentum hujus doctrinae cum aliqua ad praxim utilitate ex nonnullis singularibus exemplis propositis facilius perspicias, utque per ea monitus provide caveas, ad extremum documento tibi habeas selecta quaedam judicia de indole ac valore decreti tolerantiae in causa scholastica duarum parochiarum Faribault et Stillwater editi, quae, canonicis interpretationis regulis insuper habitis, a nonnullis viris politicis in celebrioribus ephemeridibus lata sunt, unde opinione citius per utrumque orbem disseminata conspiciuntur.

Ephemerides ‚L'Univers' et ‚Le moniteur de Rome' in efferendo valore decreti in hunc modum ampullantur: ‚Nul ne peut douter, que les hommes de science, de foi et de respect, qui ont pris part à ces débats, ne soient unanimes à reconnaitre dans la décision tout ce que Rome y a mis'[1]).

Eadem ephemeris ‚Le moniteur de Rome' paulo antea cum magna emphasi de documentis ad hanc causam spectantibus scripserat: ‚Nous n'avons pas besoin de relever l'importance de cette décision et de ses explications, qui marqueront une date dans l'histoire de l'église aux Etats-Unis'[2]).

[1]) ‚Le moniteur de Rome', d. 11. Junii 1892. [2]) D. 12. Maji 1892. Caeterum de parte, quam ‚Le moniteur de Rome' in causa a Rmo. Dno. Ireland proposita habuit, mira narrat folium ‚Il diritto di Roma' d. 1. Maji 1892; sed magis mira referunt magnae ephemerides catholicae exterae, ut ecce, trevirensis ‚Trier. Landeszeitung' (die

Folium ,Politische Correspondenz', famosae illae tabulae novissimarum rerum, quas in officinis omnium magnarum ephemeridum politicarum scire interest, non minori verborum pompa de amplitudine ac valore nostri decreti loquitur mense majo. ,Der Papst, ita inter alia ait, überwies die Angelegenheit der Congregation der Propaganda zu genauer Prüfung, und diese hat nun nach eingehender Untersuchung bezüglich des von Mgr. Ireland angeführten Systems den Spruch gefällt: *tolerari potest*.. Es erhellt hieraus, dass der heilige Stuhl durch sein Urtheil in dieser Sache neuerdings den Beweis erbracht hat, dass er ein entschiedener Gegner aller intransigenten Standpunkte ist und dass der Papst sich in allen das Verhältnis der Kirche zum Staate betreffenden Fragen von klugem, die Grenzen des Erreichbaren berechnenden Takte und vom Geiste der Versöhnlichkeit leiten lässt'[1]).

Verum ut caeteris omnibus tempore prior, ita et verbis audacior ampullas projecit interpres in ,Baltimore Sun: ,The so-called Faribault plan is now formally allowed in spite of Germans and Jesuits. The decision ,tolerari potest' which means canonically ,is fully allowed'.. The plan is, of course, a departure from the ideal, and in case of a departure the canonical language is ,tolerari potest' but they imply for practice a full approval'[2]).

17. Decemb.), berolinensis ,Germania' (die 18. Decemb.), salisburgensis ,Salzburg. Kirchenzeitung' (die 20. Decemb.) et plura alia ejusdem celebritatis acta diurna: in quibus omnibus advocatus praesentis causae in folio ,Le moniteur de Rome' (12.—13. Decemb.) de crimine falsi arguitur. Nos quidem alieni a tota lite ut sumus, rem controversam in medio relinquimus.

[1]) Commenta politici hujus scriptoris doctus professor americanus solide ac nervose refutat in ,N. Tiroler Stimmen', d. 2. Julii 1892 sub titulo: ,Die Schulfrage in den Vereinigten Staaten'. Ex ea refutatione id tantum enotamus, quod auctor maxime reprehendat captiosum terminum *Faribaultsystem*, *Faribaultplan*, quod is simplici bonaeque fidei homini insinuet, tolerantiam compositionis circa solas duas scholas facta vi ejusdem decreti ex identitate rationis etiam ad alias scholas parochiales extendi posse, secus ac legitimae interpretationis regulae fieri sinant. [2]) D. 11. Maji 1892. De praesenti hac interpretatione recole, quae animadversa suo loco sunt n. 54.

Appendix.

De episcopali tolerantiae decreto.

83. Non solum summi principes, verum etiam inferiores magistratus identidem, perpensis peculiaribus personarum rerumque adjunctis, ad id consilii deveniunt, ut ‚magni alicujus aut adipiscendi boni aut prohibendi causa mali patienter ferant'[1], quae vetita legibus sunt: sive tolerantia nudi facti violationem juris fieri sinant, hominibus malis ‚suo ingenio cum venia relictis'[2]), sive tolerantia decretali illicitum permittant, non quidem probando, impunitatem tamen dando et jus, ne quis alius impedire possit.

Ejusmodi episcopalis tolerantiae, per decretum concessae, exemplum inter alia sit extrajudicialis permissio divortii, quae haud raro conceditur. Notum omnibus est, separationem tori atque habitationis conjugum ex praescripto sacrorum canonum per legitimam judicis ecclesiastici sententiam decerni debere.

Jam vero si episcopus, cujus judicio concilium tridentinum matrimoniales causas commisit[3]), rebus omnibus consideratis perspiciat, ex processu forensi pro bonis mala esse secutura, sive quod, actibus judicialibus animorum exacerbatio praevideatur augeri indeque reconciliatio difficilior reddi'[4]), sive quod conjuges in judicio comparere detrectent, sive quod, separatione tori mensaeque proprio arbitrio facta ab invicem jam discesserint: tunc enimvero ipse, causa primum extrajudicialiter sedulo examinata, majoris mali praecavendi causa, decreto tolerantiae edito, comparativa permissione ‚permittit', ut conjuges in separatione tori atque habitationis vivant.

84. Certum ritum tolerantiae decreti in causa adeo gravi legitime expediendi in vicinia nostra olim praescripsit

---

[1]) SS. D. N. Leo PP. XIII. Constitut. ‚Immortale Dei'. [2]) C. Denique 6. dist. 4. [3]) Sess. 24, c. 20 de reform. [4]) Instruct. matrimon. Austriae § 241.

cardinalis Melchior Diepenbrock, episcopus vratislaviensis, practica instructione pro suo consistorio edita die 16. Septemb. an. 1847: quam, quia idonea est praesenti argumento illustrando nec passim obvia, ad absolutionem commentarii nostri hic adscripsisse a proposito nostro alienum non fuerit. Est autem ejusmodi:

,Wir bestimmen daher, gestützt auf Conc. Trid. sess. 24 c. 8 de matrim., dass Unser Hochw. Consistorium hinführo in Ehesachen, wo sich beide Theile zu einem gesonderten Wohnen einigen, nach versuchter Sühne durch den competenten Pfarrer oder einen anderen hierzu geeigneten geistlichen Commissarius ohne formale Weiterung ermitteln und von demselben zugleich begutachten lasse, ob Verhältnisse, wie die oben angedeuteten, unter den betreffenden Eheleuten vorhanden seien, die ein Gesondertsein für bestimmte oder unbestimmte Zeit zulässig erscheinen lassen, demnächst selbst die Sache gewissenhaft erwäge und durch ein *Toleranz-Decret* ausspreche, dass das Gesondertleben überhaupt kirchlich zugelassen werde oder nicht, und im ersteren Falle, dass es auf bestimmte oder unbestimmte Zeit verstattet werde. Von dem Beschlusse ist sodann den Partheien und dem competenten Pfarrer Kenntniss zu geben.

Wird dies *Permittimus* auf bestimmte Zeit ertheilt, dann muss mit Ablauf derselben die Sühne von neuem versucht, und wird letztere nicht erreicht, wiederholt ermittelt, erwogen und beschlossen werden, ob eine Sonderung fernerhin zulässig erscheine oder nicht. Bei dem *Permittimus* auf unbestimmte Zeit ist dagegen der Antrag einer Parthei abzuwarten'.

Sed finis sit!

85. Studiosus autem sacri juris candidatus, qui exilia haec nostra hucusque legere sustinuerit, ex omnibus duo haec memoriae et documenti ergo facile retinebit:

1) Tolerantiam juridice sumptam jus canonicum in comparativa permissione ponit (n. 21), quam classici doctores ad ,actum negativum, sonantem in pati' reducunt (nn. 10—11). Et id recte quidem.

Qui enim in omni tolerantia habetur actus, duplici ratione ‚negativus' est, ratione habita scilicet tum ipsius legis, tum rei toleratae (n. 11).

Priori modo dicitur ‚negativus', quia est negatio actionis circa legem, cujus violationem legislator tolerando fieri sinit; lex enim, etiam post editum tolerantiae decretum, omni ex parte, intensive et extensive, ita firma in priori suo robore permanet, ut nec ipse ille singularis et extraordinarius casus, in quo impune non observari permittitur, ab ejus obligatione eximatur (nn. 24—25).

Altero modo vocatur ‚negativus', quia est negatio actionis in ordine ad rem, quae toleratur, sive approbandam sive improbandam; quum legislator, solius boni publici causa, citra omnem approbationem, patienter tantum ferat, quae contra legem fieri vel facta videt.

Est autem actus ‚sonans in pati', quia impunitatem dat apud homines, et alios ab eo, cui permittitur, obligat, ne impedimentum ponant (nn. 10—11, 19, 24).

2) Atque ut, unde exorsus est, ibidem terminetur commentarius, ‚propter humanae naturae varietatem et machinationes ejus inopinabiles' (n. 1), providentissimo consilio fit, ut Sedes Apostolica, ‚facta singularia, quae in exceptionalibus casibus a lege deflectunt, moderatione ac prudentia duce potius, quam legis rigore judicando, identidem *tolerari posse'* declaret. Dum enim ejusmodi decreto ‚media veluti strata inter rigorem et dispensationem incedendo' (n. 14) ex una parte sapienter praecavet, ne ‚nimium emungendo sanguis eliciatur' (n. 15), ex altera parte rem vetitam intra terminos in decreto expressos impune fieri ita sinit, ut firma in suo robore lex permaneat (nn. 24 et 51).

Index synopticus.





